



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Malderi Episcopi Antverpiensis S. Th. quondam
Louanij Professoris Tractatus De Sigillo Confessionis
Sacramentalis**

Malderen, Jan van

Antverpiæ

urn:nbn:de:hbz:466:1-41093




49

Th. 2249.

G II

27.





I C

E

S

D

C

EX

A

IOANNIS MALDERI
EPISCOPI ANTVERPIENSIS
S. Th. quondam Louanij Professoris
TRACTATUS
DE SIGILLO
CONFESSIONIS
SACRAMENTALIS.

Collyij Societatis JESU Paderbornae. 1636.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthasarem Moretum, & Viduam
Ioannis Moreti, & Io. Meursium,
M. DC. XXVI.

IOANNES HARTNER
HOC EST UNIVERSITATIS
SIGILLUM
SIGILLUM
SIGILLUM



R
D
fir
gr
m
to

REV^{MO} ET ILLVSTR^{MO}

DOMINO

D. IACOBO

BOONEN

ARCHIEPISCOPO

MECHLINIENSI.



INTER curas Pa-
storis animarum,
R^{mc} & Ill^{mc} DO-
MINE, non infi-
ma est, quod in-
firmum est consolidare, quod æ-
grotum sanare. Fit hoc potissi-
mum in Poenitentia Sacramen-
to: sine poenitentia enim à spiri-
tuali

A 2

tuali

tuali nostro morbo non sanamur.
Virtutis autem poenitentiae be-
neficientissimum ex CHRISTI
DOMINI gratia subsidium est
Sacramentum Poenitentiae, quo
fit, vt ex semine contritionis in
corde concepto producat & e-
ducatur, tamquam partus spiri-
tus salutaris, Confessio oris: vnde
tandem producantur fructus di-
gni poenitentiae, & alligetur &
consolidetur quod confractum e-
rat & infirmum. In hoc salutari
partu opus est ministerio Sacer-
dotis, qui Confessionem excipiat,
contritionem suscitetur, & poeni-
tentiae opera imponat. Ministe-
rium, inquam, quod Dei sapien-
tia coniunctum esse voluit cum
potestate Magisterij, cum pote-
state

state Iudiciali, non quauis, sed per
quam fiat, vt semel ritè lata in
terris sententia, in cælis iam eo
ipso firmata sit. Dum expendo,
quanta cura insit huic medicinæ
impertiendæ, nonnullis præser-
tim Viris grauibus me incitanti-
bus, suscepi scriptiõnem hanc de
Sigillo sacrae Confessionis, quòd
ea in parte videretur nonnihil iu-
uandum & Sacerdotum ministe-
rium & Christianorum poeni-
tentia. Nemini verò aptiùs hunc
Libellum inscribere potui, quàm
Ill^m V. A. quæ pro munere suo
Archiepiscopali vt cetera eò spe-
ctantia impensè curat, ita potif-
simùm cordi habet Poenitentia-
riam verè Apostolicam stabilien-
dam, tamquam sacram apothecam

A 3 cam

cam spiritualis medicinæ Chri-
stianæ, fideli populo cum primis
necessariam. Itaque rogo, vt boni
consulas in paruo munusculo af-
fectum non paruum offerentis.
Deumque precabor, vt diu Ec-
clesia Pastoralis vestræ Ill^{mæ} Do-
minationis sollicitudine tuta gau-
deat & floreat in hoc afflicto Bel-
gio nostro. Antuerpiæ, 3. Nouem-
bris, anno 1625.

REV^{MÆ} ET ILL^{MÆ} A. V.

obsequio deuotus

IOANNES MALDERVS

Episcopus Antuerpiensis.

IN-

INDEX CAPITVM
TRACTATVS
DE SIGILLO
CONFESSIONIS.

CAPVT PRIMVM.

QUID sit hoc Sigillum. Pag. 13.

CAPVT II.

Quo Iure obliget Sigillum Confessionis. 18.

CAPVT III.

An Sigillum Confessionis obliget omni casu.
30.

CAPVT IV.

An possit Confessarius de consensu confitentis reuelare Confessionem. 41.

CAPVT V.

An obliget hoc Sigillum, quando pœnitens non quidem in reuelationem consentit, sed casus est talis vt consentire teneatur.
54.

A 4 CAPVT

IN TERTIO CAPVT VI.

*An pœnitens, nolens consentire in reuelationem quando tenetur, sit absolue-
ndus.*

56.

CAPVT VII.

*An quando negatur absolutio defectu pro-
positi non abstinendi aut parendi in ne-
cessariis, teneatur nihilominus Confessa-
rius ad Secretum seu Sigillum Confes-
sionis.*

57.

CAPVT VIII.

*An obliget Sigillum quando est ficta Con-
fessio.*

59.

CAPVT IX.

*An obliget Sigillum, quando ex parte Sacer-
dotis stat quò minus Confessio sit Sa-
cramentalis.*

64.

CAPVT X.

*An obliget Sigillum quando Confessario et-
iam aliunde peccatum innotuit quàm ex
Sacramentali Confessione.*

68.

CAPVT XI.

Quæ sit pœna frangentis Sigillum.

74.

CAPVT

CAPVT XII.

Quibus modis contingat indirectè Sigillum frangi. 79.

CAPVT XIII.

Quinam præter Sacerdotem participatiuè teneantur Sigillo. 97.

CAPVT XIV.

An extra Confessionem nullo modo liceat cõti scientia eorum quæ sub Sigillum cadunt. III.

CAPVT XV.

Quenam sit propriè materia Sigilli. 131.

CAPVT XVI.

An celanda etiam illa quæ de aliorum peccatis pœnitens in Confessione aperit. 150.

CAPVT XVII.

An complicitis peccatum cadat sub Sigillum. 156.

CAPVT XVIII.

Quid de illis dicendum quæ alios concernunt, & peccata non sunt, sed secreta; anne etiam ipsa sub Sigillum cadere censenda sint. 186.

A 5

CAPVT

CAPVT XIX.

An rectè faciant Confessarij curiosiùs talia in Confessione inquirendo quæ ad peccata pœnitentis non pertinent, neque sub Sigillum cadunt, & an Pœnitentes teneantur de illis respondere. 188.

CAPVT XX.

An possit Confessarius curiosiùs indagare, quænam peccata apud alium pœnitens sit confessus, aut quæ ab alio Confessario dicta sint. 194.

CAPVT XXI.

An possit Confessarius extra Confessionem loqui pœnitenti de auditis ab ipso in Confessione. 201.

CAPVT XXII.

An in Confessione sequenti possit Confessarius sine causa iusta & consensu pœnitentis loqui pœnitenti de auditis ab eodem in præcedenti Confessione. 207.

IOAN-

II

IOANNIS MALDERI
EPISCOPI ANTVERPIENSIS
TRACTATUS
DE SIGILLO
CONFESSIONIS
SACRAMENTALIS.

Prefatiuncula.

DE Sigillo Confessionis, & quibusdam ad illud spectantibus, nonnulla dicturus sum; ut tam Sacerdotes rudiores quàm confitentes moneam, de quibus cauere in hoc sacro negotio oporteat aut expediat. Oriuntur enim grauia sacrilegia & scandala, quando non prudenter & cautè vtrisque se gerunt Sacerdos & pœnitens; & auertuntur homines infirmi, qui maximè pœnitentiæ Sacramento indigent, ab eius vsu; & hæreticis alijsque infidelibus Christi Sacramenta deridenda exponuntur.

Nota-

Notabile sanè est & animaduersione dignif-
 simum, difficile esse, pro necessitate multi-
 tudinis populi Christiani, tot reperiri viros
 qui sint tantæ doctrinæ & prudentiæ, qua-
 les sacrum hoc Sigillum requirit. Est nihilo-
 minùs miraculi loco habitum, & sine dubio
 diuina prouidentia singulari procuratum, in
 tanta Sacerdotum apostatarum multitudine
 vix reperiri qui Sigillum istud sacrum vio-
 lauerit. Ita nimirum Deus hîc mari posuit
 terminum, & dixit: *Vsque huc venies, &
 non procedes amplius, & hîc confringes tu-
 mentes fluctus tuos,* Iob c. 38. Eâdem Dei
 prouidentiâ miraculosè cuidam accidit, vt
 peccatorum suorum, quæ in naufragij peri-
 culo erat confessus coram pluribus, nemo
 meminerit, vbi ad portum ventum esset, vt
 refert S. Bonauentura. Ceterùm quàm sit
 necessaria scientia eorum quæ ad Sigillum
 spectant Pastoribus alijsque Confessarijs,
 patet, quia sine hac scientia exponunt se pe-
 riculo peccandi mortaliter; adeoque mor-
 taliter peccant hæc ignorantes, & nihilomi-
 nùs Confessiones audientes, vt benè in simi-
 li tradit Nauarrus in cap. 1. de Pœnitentia
 dist. 6. §. Caueat, n. 29.

*Sigillum
 variùs vio-
 latum.*

CAPVT PRIMVM.

Quid sit hoc Sigillum.

SICVTI quæ Sigillo Regis clauduntur referari non possunt, ita peccata quæ confitens Sacerdoti aperit, censentur conclusa & obserata quodam Sigillo, vt referri aut aperiri nullatenus possint. Estque hoc Sigillum illa ipsa obligatio secreti. Quæ obligatio non tantum eo gradu est consideranda, quo considerari debet amici secretum, quando quis sub secreto arcana aliqua amici sui recipit; aut quo potest considerari Sigillum quo quis secreta sua instrumenta, puta secretum testamentum, claudit: sed nostra obligatio Sigilli confessionis est prorsus diuina, & ita concipienda quasi Deus ipse suum Sigillum apposerit, quo voluerit nulli mortalium posse aperiri peccata quæ Confessario vices Dei (qui peccata propria auctoritate solus remittit) subeunti per pœnitentem in Confessione Sacramentali aperta sunt. Vbi aduertimus, id propriè & directè & per se primò cadere sub Sigillum, quod Confessario dicitur non vt homini, sed vt Deo, siue vice Dei; quæ sunt peccata pro quorum remissione ab homine ad Deum recurritur in
hoc

*Sigillum
Confessionis
est sigillum
Dei.*

hoc Sacramento, cuius potestate Confessarius dimittit, & qui cum ipso Confessario & per ipsum dimittit, secundum illud Ioannis 20. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Est autem in hoc Sigillo magnum mysterium situm, ita ut dicant Theologi, esse de necessitate Sacramenti quod Sacerdos peccatum in confessione auditum celet. ita D. Th. in Suppl. q. 11. a. 1. in corpore. significatur enim illo silentio eade tectio, etiam Deum tegere ea peccata, quae iam per confessionem remisit; adeo ut etiam in extremo iudicio, quando alioqui omnia patefient, eatenus tecta relinquet, quatenus confusionem aliquam parere possit reuelatio. Quia vero in hac vita confusionem pariunt, omnino teguntur. In diuino autem illo generali iudicio, poenitentia, & propter eam etiam electorum peccata aperiuntur, ad diuinae misericordiae & ipsorum gloriam: atque ita eorum ignominia non reuelatur ad ignominiam, sed etiam ibi quodammodo tegitur. Significaret ergo sacrilege, non esse remissa à Deo & tecta illa peccata, Sacerdos, quae per Confessionis Sacramentum remissa sunt, si hoc Sigillum infringeret. Quod itaq; Deus tegit interius remittendo, Sacerdos exterius tegat silendo, ut etiam in hoc Sacramento
 sic

An Deus electorum peccata tegat in iudicio.

sic significetur exterius, quod geritur interius. Sed potest in Confessione, hoc est in Secreto illo clauium iudicio, laudare peccata sua etiam magna clarè exprimentem pœnitentem: quomodo Deus in iudicio extremo in peccatis quæ manifestabit, electorum suorum pœnitentiam laudabit. Extra Confessionem autem Confessarius caueat, ne etiam pœnitentiam laudando peccata prodar. Obserata ea maneant Sigillo Dei, donec veniat magnus ille dies in quo fiet quod scriptum est: *Et libri aperti sunt: & alius liber apertus est qui est vita; & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.* Apoc. 20. & alibi: *Iudicium sedit,* Dan. 7. *& libri aperti sunt.* Deum tegere peccata eius qui sibi ea per Confessionem detegit, pulchrè dicit Augustinus in Psal. 31. *Deus tegat vulnera tua, non tu: nam si tu tegere volueris erubescens, Medicus non curabit. Medicus tegat & curet; emplastro enim tegit, &c.*

Circa hoc fundamentum Sigilli notat Paludanus, non esse sufficiens; eò quòd aliqui non teneretur Sigillo, qui non potest confitentem absoluerè defectu veræ pœnitentiæ, contra doctrinam infrà Cap. vii. tradendam. Sed considerandum hîc est, posse mysterium istud esse rationem quare generaliter cautum sit, ea quæ in ordine ad Clau-
 ues

ues in Confessione deteguntur tegenda esse, etiamsi non perueniatur ad absolutionem. Durandus etiam hanc D. Thomæ congruentiam oppugnavit: Vel enim dicitur, inquit, Christus celare peccata in hac vita, vel in futura. In hac celat & eorum qui non confitentur, in futura reuelat etiam eorum qui confitentur. At meminisse debebat Durandus, etiam Scripturæ phrasi tegi peccata quæ remittuntur, Psal. 31. & 84. projici post tergum, Isa. 38. obliuioni tradi, Ezechielis 18. Itaque quando Clauibus ac potestate absoluendi peccata subijciuntur, rectè hoc censetur fieri cum Sacramento illius Secreti diuini, quod sacrilegè violatur quando proditur peccator. fit enim (inquit Angelus) quasi irritum Sacramentum, & auferitur Confessioni natura suæ significationis.

*Sigillum
non est pars
essentialis
aut integ-
ralis Sa-
cramenti.*

Rectè tamen monuit Petrus de Ledesma de Pœnitentia c. 22. non esse Sigillum partem essentialem aut integram huius Sacramenti, sed consequi ad Sacramenti huius necessitatem; adèd vt sublato Sigillo periret Sacramentum, cum nemo confiteretur. Alius eruditus dicit, Secretum esse de necessitate Sacramenti huius, posse intelligi vel quoad obligationem, vel quoad executionem. Quoad obligationem, ita est de necessitate Sacramenti, vt sine Secreto non

con-

confisteret Sacramentum, saltem quoad secreta peccata, de quibus non potest inuito pœnitente indici publica pœnitentia. Itaque natura Sacramenti rectè dicitur imponere necessitatem huius silentij. Executio autem vel etiã intentio Secreti non est sic de necessitate Sacramenti, quin sine ea Sacramentum sit validum & ratum. Sunt qui hoc illustrent exemplo Sacramenti Matrimonij; vbi dici potest similiter, quòd redditio debiti coniugalitatis sit de natura eius: quamuis hoc intelligendum sit de obligatione reddendi debitum; cum euidentis sit, negatione debiti non solui Matrimonij Sacramentum.

Non est tamen omittenda altera ratio, ob quam Sigillum istud siue Secretum artificiosissimum, etiam Iure naturæ sit necessarium; quòd eo Secreto non seruato, homines ab huius Sacramenti tam necessarij vsu auerterentur. Quam rationem non tantum D. Thomas, sed etiam Leo Primus vrget Epist. 80. aut, vt alij numerant, 78. *Tunc demum plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia pœnitentis.* Neque enim sperandum est, homines integrè peccata secretissima cordis & cogitationis suæ explicaturos, & integram conscientiam suam exomolegesin facturos, & animi sui pondus apud Sacerdotes expositu-

vt Veteres loquuntur, si Arcanum istud non sit seruandum; cum vix ad tantillum quod coram homine vno subeant erubescentiæ, adducantur maximo illo præmio euadendæ confusionis coram Deo, quem nihil latet.

C A P V T I I.

Quo Iure obliget Sigillum Confessionis.

CERTVM est obligare Iure diuino, quo obligat & ipsa Confessio, quæ sine hoc Secreto non subsistit: diuino inquam, Evangelico, & supernaturali. Panormitanus in c. Omnis, putauit Confessionem obligare tantum Iure Ecclesiastico. sed fallitur: est enim præceptum Iuris diuini de Confessione faciendâ, eiusque Secreto seruando: quod præceptum quatenus Sigillum concernit, quadam generali Ecclesiæ traditione nobis innotuit, non ex Ecclesiastica potestate institutum est. Imò probabiliter existimant quidam, Christum peculiari præcepto hoc Sigillum indixisse. Deus enim positiuo & supernaturali Iure statuit, vt Secretum illud sit secretissimum: quamuis etiam non desit obligatio Iuris naturalis, quo ex iustitia tenetur quis celare amici arcanum sibi commissum. Verum sicuti depositum apud amicum, non est ei seruandum quando aliud

Reip.

*De Sigillo
est præceptum
Christi, vel im-
plicitum vel
explicitum.*

Reip. necessitas exigit: ita fieri potest, ut quod tantum vinculo naturalis secreti teneris celare, possis prode re causâ iuandi periclitantem Remp. eò quòd Reip. bonum præponderet. Videtur autem quibusdam, manendo in obligatione naturali huius Secreti, posse incidere necessitatē Reip. in qua liceat illud prode re. ita tenet Vasquius Tom. 4. in 3. p. q. 91. a. 2. dub. 3. Mihi tamen neque istud dicendum videtur; quia nulla necessitas spiritualis aut temporalis potest præua- lere & præponderare necessitati huius Secreti seruandi. Quare benè dicunt Doctores, admisceri aut subesse diuinæ ordinationi de hoc Sigillo in omni omnino casu seruando aliquid obligationis connaturalis huic Sacramento; ut non tantum sic Deus institue- re voluerit, sed seruata rei connaturalitate aliter instituire non potuerit. Quare rectè dicit Sotus de Tegendo secreto, membro 3. q. 4. quamuis sublato Sigillo Confessio nihilominus esset Sacramentum; fore tamen, eo casu posito, intolerabile præceptum Confessionis. Hoc verum, quòd potuerit forsitan sic instituire hoc Sacramentum, ut obliga- uerit quidem ad Secretum omni casu, sed non tam intensè, neque sub tanta pœna. Pe- santius benè annotat posse distinctione nos hinc uti, ut obligatio naturalis Iuris cõsidere-

*Sigilli obli-
gatio il-
lius natu-
ralis num-
quam ces-
sat.*

tur vel nudè, vel vt resultat circa Secretum tamquam sacrum: & priori modo manere simile alijs naturalibus obligationibus, posteriori autem si consideretur, parum referre siue dicas arctissimam illam obligationem nullo casu reuelandi esse ex Iure naturali, siue ex Iure positiuo diuino: naturale enim intelligitur, quod sequitur institutionem Confessionis secretæ. Simile quid ex Richardo deduxeris. Promissum seruare, est Iuris naturæ: Sacerdos autem in proposito saltem implicite propter Sacramentum promittit omni omnino casu celare Confessionem; ergo ad hoc Iure naturæ tenetur.

Sunt qui pro Secreto Confessionis allegent, quòd Sacerdos eo ipso quo iniungit pœnitentiam, in nullo ampliùs posse grauare pœnitentem declaretur. Verùm ista ratio est longiùs petita; & etiam si non absoluat, neq; pœnitentiã iniungat, certum est teneri ad Secretum seruandum. Magis placet quod alij dicunt, non esse faciendam vllam traiectionem à foro pœnitentiæ ad subordinata foro externo humano; sed omnia Confessione facta celanda esse, & remittenda ad forum cæleste; de quo Euangelium: *Quaecumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in calo: & quaecumque solueritis super terram, erunt soluta & in calo.*

Ex

Ex dictis colligitur, huius Sigilli maiorem esse obligationem quam cuiuscumque alterius secreti, iuramento, voto, vel alio modo roborati, ut benè obseruat Henriques. Pro cuius rei pleniori intellectu possumus obseruare ex B. Medina lib. 1. Instructionis Confessariorum, paragrapho de Secretis, esse septem gradus Secretorum.

Summus est Sigillum Confessionis.

Secundus, Arcanum Reip. in publicis personis.

Tertius, Secretum interceptum, utpote si litteræ secretæ & sigillatæ alterius, effracto sigillo sint apertæ per iniustitiam, & secreta inde nota.

Quartus, Commissum ab amico. de quo multa Ecclesiasticus cap. 27. ubi inter cetera: *Denudare autem amici mysteria, desperatio est anima infelicitis.* Ab improba ista denudatione non fuit alienus Ruffinus, de quo Hieronymus Apologiæ c. 11. ita scribit: *Scire te iactas crimina, quæ tibi soli amicissimo sine confessus, & hæc in medium prolaturum: meisque me coloribus esse pingendum, & debere meminisse quòd iacuerim ad pedes tuos, ne gladio oris tui amputares caput meum.* Eòdem pertinet quod apud Cassianum legimus Collatione 2. c. 12. de sene quodam, qui multùm ibi culpatur, quòd cuidam Fratri cogitationes

suas simplici confessione prodenti, postmodum quadam indignatione commotus eandem grauiter exprobrauerit.

Quintus, Commissum sibi à quocumque alio secretum tamquam depositum.

Sextus, Secretum iuratum, quando quis iuramento promisit celare detectum sibi secretum: quò spectat iuramentum quod Medicis Hippocrates præscribit, ne detegant occultos morbos aut vitia, quibus curandis adhibentur.

Septimus, Secretum quod vidisti, audisti, aut aliter rescuisti.

Sacrum itaque Sigillum Confessionis ita arctè obligat, vt nulla in mundo posset esse maior obligatio.

Gabriel in 4. d. 21. probat Secretum istud, eò quòd accusatio ista instituat inter Deum & peccatorem: peccator enim in hoc foro est accusator sui, & testis coram Deo, qui solus nouit & scrutatur corda & renes; ex corde autem propriè pendet peccatum. Meritò ergo, inquit Gabriel, Sacerdos qui hìc vice Dei est, tenetur, vt facit Deus, inspecta cordis secreta seruare secreta.

*An man-
siatur re-
uelans Cõ-
fessionem.*

Richardus & alij quidam dixerunt, Sacerdotem qui reuelat Confessionem, mentiri, eò quòd nimirum reuelando significet se vt hominem scire, quòd tantum scit vt Deus.

Verum

Verum non videtur hoc solidum, ut obseruat Vasques, quia alioqui etiam quando non reuelata persona diceret se hoc audiuisse, mentiretur: quod tamen licere passim docent omnes. Illustris est differentia inter Secretum Confessionis, & alia: quod licet alia non obligent quando ex silentio multa mala orientur, quæ possunt indicando prohiberi; vel quando spiritualis necessitas, eius qui tibi commisit, vel tua, exigit detectionem; vel Reip. aut innocentis imminens calamitas, quam teneris auertere, ita postulat ut rem aperiatur; & in similibus urgentibus casibus: Secretum tamen Confessionis pro nulla necessitate, pro nullo auertendo scandalo, vniquam propalandum sit, multò minus pro aliqua utilitate spirituali pœnitentis; quia pro sola utilitate sine necessitate ne quidem naturalia secreta sunt detegenda: euidens enim est, consilia debere cedere præceptis.

Quæres, an secretum naturale obliget sub mortali. Respondeo: Seruare secretum proprium, pertinet ad charitatem naturalem, qua quis tenetur seipsum diligere: proximi autem secretum seruare, quod seruandum suscepisti, fidelitas est: quæ quamuis per se non semper ad mortale obliget; quia tamen sæpè concurrat alterius virtutis gra-

Secreti obligatio naturalis quanta sit.

uioris obligatio; utpote Religionis, si iurasti seruare secretum; iustitiæ, si prodendo secretum; in fama graue damnum proximo inferres; charitatis sub mortali obligantis, utpote si in re graui alterius secretum reueles, in qua tibi hoc similiter fieri non velles; eo etiam accedente, quod in materia leui extra Sacramentum secreti ratio non ita habeatur, fit, ut secreti sine causa reuelatio rectè dicatur de se esse mortalis, quando non excusatur per legitimam causam: utpote si in tuum, Reip. vel tertij alicuius infantis grauamen silentium tuum vergeret, vel occurreret obligatio, quam, etiam si promisisses secretum, debebas excipere, utpote si à iudice legitimè cogaris deponere: auctoritas enim Superioris censetur in humanis promissis excepta. Conformia his tradit Dominicus Soto Relectione de Tegendo secreto, & de Iustitia & Iure l. 5. q. 6. & Nugus in Suppl. q. 11.

*Secreti
violatio
per se mor-
talis.*

*Secretum
triplex,
promissum,
commissum,
& natura-
le.*

Quæri & istud hîc potest, quomodo dignoscatur an aliquid sit habendum pro secreto. Respondeo: Aliud est secretum ex pacto, utpote quod ex promisso particulari vel generali expresso vel tacito seruare teneris. Aliud est secretum propter modum quo communicatum est; utpote si dentur sigillatæ literæ tibi, teneris seruare obseratas ei cui

finc

sunt in scripta. Aliud denique est secretum, quod lex naturæ sigillauit generali illo sigillo, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Hoc membro comprehenduntur secreta proximi, etiam casu cognita: cogitare enim debes, te sigillatas literas inuenisse casu, quas aperire non liceat, & memor esse eius quod Ecclesiasticus monet cap. 19. *Audisti verbum aduersus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te disrumpet.*

Ceterum quomodo etiam Iure Ecclesiastico obliget Sigillum Confessionis, patebit infra Capite vndecimo. Hoc solum moneo, vt ne quis putet ex Ecclesiæ statuto ortum esse hoc Sigillum, Iura quæ ex Canonibus adferuntur recentiora sunt: vtpote c. Sacerdos, de Pœnitentia, d. 6. quod est Gregorij. Tempore etiam Nectarij, de quo sequenti Capite, oportebat Pœnitentiarium illum publicum, qui postea est amotus, esse tenacem secreti, vt Tripartita testatur. Sed hoc ipsum partim ex diuina lege positiua, partim ex naturali profluxisse, facile intelligitur. Capitulum Omnis est ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. quod iam non multò amplius quàm quadringentis annis est celebratum. Verum antiquiorem esse usum Sigilli siue Secreti huius in Confessione, constat ex Epist. Leonis 80. qui dicit

B 5 suffi-

sufficere, per Confessionum secreta Sacerdotibus solis conscientiarum reatus indicari, ita vt soli Deo & Sacerdoti innotescant. Leontius in Vita S. Ioannis Eleëmofynarij cap. 51. refert factum mirabile, quo constet quàm sit Secretum Confessionis necessarium, & quanti momenti. Mulier enim quædam peccato maximo grauata, sanctum virum, vt valentem soluere & ligare, adiit, sed præfata se non posse reuelare, monita fuit saltem scripto exprimere: quod fecit, arctè tamen bullato pittacio, id est, obsignato epistolio siue scriptura huius secreti. Sancto viro post paucos dies defuncto, de secreto suo sollicita mulier, ad Sancti sepulchrum triduo orauit pro redditione sui scripti, & exorauit; idque feratum & benè seruatam de manu Sancti accepit: eoque aperto inuenit deletas suas literas, & subscriptum, sibi propter sanctum Ioannem deleta esse peccata. Paulinus in Vita S. Ambrosij, testatur D. Ambrosium tenacem Sigilli Confessionis fuisse: *Causas criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur; bonum relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, vt intercessores apud Deum sint magis quàm accusatores apud homines.* Fuit iste Paulinus ex Clero ipsius Ambrosij, vt ipse testatur. Mirum,
eisdem

eisdem verbis eadem de S. Eustachio dice-
re Ionam Scotum apud Coccium in The-
sauro Catholico : verosimile vnum ex alte-
ro sumpsisse.

Præterire hîc non possum, quin in me-
dium producam ea quæ nuper, nouatoribus
placere studens in hoc argumento, quasi ex
antiquitate hausta, obrudere conatus est
Marcus Antonius de Dominis, tam infelix
in agenda quàm in describenda pœnitentia.
Verba eius sunt sub finem capitis 7. lib. 5.
de Repub. Ecclesiastica: *De Sigillo Confessio-
nis aliquid dicendum esset; sed hoc Sigillum,
ablata iam ab hac Ecclesiastica pœnitentia ra-
tione veri Sacramenti, nihil fermè plus habet
obligationis, quàm ex Iure natura quisque ha-
beat circa secreta sibi commissa, ex quibus pos-
set infamie notam pœnitens secretus subire,
& scandalum exoriri: & tales Sigilli reuela-
tores graui pœna etiam à potestate laica essent
puniendi, quia remedium hoc insigne externa
pœnitentia odiosum reddunt, & ab eo deter-
rent pios fideles. Et quia bonum commune
semper præponderat bono priuato alicuius, ideò
conspiratores contra Principes & contra pa-
cem publicam, & magnorum scandalorum con-
cinnatores, etiam sub hoc Sigillo alicui Mini-
stro cogniti, omnino reuelari debent, salua
quantum fieri potest persona: & si non possit*
malo

*malo imminenti occurri, nisi plenè & factò re-
 uelato & personis; absque scrupulo Confessa-
 rius & potest & debet, & omnino in conscien-
 tia tenetur id reuelare. Iniuria enim nulla fit
 ulli Sacramento, quia nullum hic adest verum
 Sacramentum. Hactenus iste. In quibus ver-
 bis videmus Sigilli secretum reiici ad ordi-
 nem naturalis secreti ex falso & hæretico
 fundamento, nimirum quòd Confessio se-
 creta non sit Sacramentum. Admittit ergo
 Pœnitentiæ virtutem, non Sacramentum.
 Virtutem (inquam) Pœnitentiæ dicit esse
 causam remissionis peccati instar remo-
 uentis prohibens, sicut fuit in lege veteri
 scripta & naturali. Dicit, Confessionem quæ
 fiat Sacerdoti non esse peccatori necessa-
 riam ad consequendam remissionem pecca-
 ti, sed sufficere Contritionem. Fatetur ta-
 men, Ecclesiastica lege publicos criminosos
 fuisse compulsos ad pœnitentiam & agni-
 tionem publicam peccatorum suorum, &
 ex publica illa pœnitentia ortum esse, vt
 quisque etiam pro occultis suis peccatis adi-
 uerit Sacerdotem, secretò sua sponte ea con-
 fitens, non vt remissionem eorum acciperet,
 sed vt per modum Ecclesiasticæ disciplinæ
 condignos pœnitentiæ fructus ad iudicium
 Sacerdotis faceret, antequam ad Synaxin
 admitteretur. Absolutionem autem fuisse
 illam*

illam ipsam admissionem ad Communio-
nem, vt Sacerdos non remittat peccata per
vllum Sacramentum, sed tantummodò di-
rigat pœnitentem, siue priuatim siue publi-
cè, in bono vsu virtutis Pœnitentiæ & Sacra-
menti Eucharistiæ. Abrogata autem per
Nectarium pœnitentia publica, tantùm su-
perfuisset secretam illam auricularem, quæ
adhiberetur tam in publicis quàm in occul-
tis peccatis; solùm eo fine, vt quisque sciret
quomodo pœnam à seipso sui peccati exi-
geret, antequam ad Eucharistiam accede-
ret. Vbi exclamat, esse indecentissimum, de
publicis secretò pœnitere; hoc est, iniunctam
Ecclesiasticam pœnitentiã secretò tantùm
subire, esse indecentissimum; immemor,
posse interdum satisfieri Ecclesiæ, si publi-
cus peccator publicè sciatur esse conuersus,
& pœnitentiæ opera fecisse, etiamsi ea pu-
blicè non faciat. Itaque claues Ecclesiæ da-
tas solùm interpretatur quoad disciplinam
externam excommunicandi, pœnas impo-
nendi, & ad communionem admittendi, aut
non admittendi, non quoslibet, sed scanda-
losos peccatores; quamuis ex abundantia, &
per voluntariam submissionem, etiam alij
peccatores sibi applicari earum vsum vo-
luerint. In cælis autem eadem remitti quæ
in terris remissa per Sacerdotes fuerint, non
aliter

30 IO. MALDERI TRACTATUS
aliter videtur accipere, quàm quòd expletis
iniunctis pœnitentiis certiores fiant & con-
fidant sibi apud Deum esse remissa pecca-
ta. Et hic quidem sensus est Marci Antonij,
qui instar aranæ ex obscuris quibusdam
Veterum verbis, neglecta clara antiquitatis
sententia, venena sui erroris suxit. At quis
Veterum, quæso, potestatem remittendi pec-
cata Sacerdotibus datam à Christo his ver-
bis, *Quorum remisistis peccata, remittuntur
eis, &c.* aut, *Quæ solueritis super terram, erunt
soluta & in cælis*, ita accepit, vt remittere, sit
remissa ostendere; & in cælis remitti, in cæ-
lis sit remissa à Deo esse sibi persuadere?
Non hoc sensit Augustinus, qui propter Sa-
cerdotum absentiam deplorat aliquos hinc
discedere ligatos, Epistola 180. Quin &
ipsa Scriptura repugnat, quæ significat prio-
rem aliquo modo esse sententiam Sacerdo-
tum, qui in Apostolis hanc potestatem ac-
ceperunt, quàm sententiam cælestem; vt ad
arbitrium Sacerdotis, Dei quodammodò se-
quatur absolutio.

CAPVT III.

*An Sigillum Confessionis obliget
omni casu.*

CERTA est doctrina, omni omnino casu
obligare; imò istam obligationem à
Deo

Deo iniici Confessario quasi prius quam obliget pœnitentem ad plenè ei sua peccata aperienda. Quod adeò certum est, vt si peccatum habeas, quod existimes non celaturum hunc Cõfessarium, cuius solius nunc tibi est copia; istud hîc & nunc in Confessione celare possis. Imò verum esse existimo, quod Henriques monuit, illo casu omittenda peccata, non tantùm quæ pœnitenti, sed etiam quæ aliis, si detegantur, nocere in fama & rebus possent. Confirmatur, quia si aliquando licitum esset reuelare, deberet id fieri concurrente aliquo Dei præcepto quod præualeret. Atqui hoc fieri non potest, quia Deus non præcipit quæ inordinata sunt: atqui est inordinatum, per ea quæ homo scit vt Deus, velle succurrere periculis humanis inordinatum etiam esset, per destructionem Sacramenti Pœnitentiæ velle succurrere necessitatibus nostris. Pro nullo ergo incommodo auertendo, pro nullo bono procurando, licet Cõfessario reuelare Secretum Confessionis, etiam si ea reuelatione possit totum mundum Christo lucrifacere, aut grauissimum damnum spirituale à tota Ecclesia vel Republ. auertere: etiam si illud tale esset quo omnes Sacerdotes & quo ipsa Confessio è medio tollerentur: etiam si Angelus de cælo aliter faciendum reuelaret, & Papa aliter iuberet

*Obligatio
Sigilli prior
quàm inte-
grè confi-
tendi.*

*Non cessas
vniquam
Sigilli obli-
gatio.*

iuberet aut dispensaret. Est omnium Docto-
rum sententia; & si qui vel Theologorum
vel Canonistarum ab hac doctrina vel mi-
nimum declinare visi sunt, grauiter ij ab a-
liis semper sunt reprehensi: utpote qui di-
xerunt posse hoc Secretum reuelari de li-
centia Episcopi, ad magnum Ecclesiæ peri-
culum auertendum, ut Altisiodorensis; aut
qui occultum impedimentum Matrimo-
nij, præsertim mortuo pœnitente, aut laten-
tem hèresim ex Confessione prodi posse di-
xerunt. Sanè ab omnibus reprehenditur iste
versiculus,

*Casus qui-
bus perpe-
ràm dixere-
runt aliqui
posse prodi
peccata
confessi.*

Heresis est crimen, quod nec Confessio celat.

Repreheni item sunt qui licitam reuelationem esse censuerunt in utilitatem pœnitentis, quando ipsi id non fore ingratum, neque redditurum odiosam Confessionem putaretur.

*Moriendū
potius Sa-
cerdoti,
quàm re-
uelet Con-
fessionem.*

Nulla ergo casu licet reuelare Confessionem, etiamsi moriendum esset Sacerdoti: salus enim Christianorum pendet à Sacramento Confessionis; quod conseruari non potest, nisi seruato Sigillo. Et quidem pro scandalo vitando aliquando mors est opetenda, quia secundum ordinem charitatis oportet salutem spiritualem proximi præferre vitæ propriæ corporali. Pro scandalo tamen vitando rectè Gregorius c. Sacerdos, de

de Pœnitentia dist. 6. negat reuelari posse
 Confessionem. Quando autem Sacerdos
 interrogatur de peccato confessi, potest di-
 cere se nihil de eo scire; intelligendo suam
 responsionem, sicut interrogatio debebat
 intelligi, nimirum sic vt possit dicere. Incre-
 pandi etiam interdum sunt, qui talia inter-
 rogant, de sacrilega sua intentione; cùm
 intendant inducere Sacerdotem in pecca-
 tum maximum contra Religionem: quod
 locum magis habet quando rogant, vtrum
 hoc nouerit ex Confessione; quando au-
 tem interrogant Sacerdotem qui ex Con-
 fessione nouit, simpliciter, vtrum hoc nou-
 erit, petunt communicationem notitiæ pos-
 sibilem, ideoque rectè eis respondet se non
 nouisse, hoc est non habere cognitionem
 communicabilem. Quæ responsio etiam
 locum habet, quando interrogant, an ex
 Cõfessione nouerit: sed, vt dixi, tunc potius
 sunt increpandi, si Christiani sint. Quod
 alioqui prior responsio etiam tunc locum
 habeat, ostendo, quia in Confessione non
 omnia dicuntur eo modo, vt sub Sigillum
 cadant, vt patebit infra Cap. 15. Quando
 ergo interrogatur Sacerdos, vtrum hoc ex
 Cõfessione nouerit, potest sic accipere, quasi
 rogetur vtrum sic ex Confessione nouerit,
 vt liceat ei dicere hoc ipsum: & respondere
 C poterit

*Responsio
 interrogati
 de confessis
 sibi pecca-
 tis.*

poterit se non audiuisse in Confessione, nimirum sic vt referre possit. Sunt tamen qui putent, talem interrogantem non responsione, sed obiurgatione semper esse excipiendum. Verùm coram Tyranno infideli puto quòd etiam dicta responsione se posset expedire. Nugnus in Suppl. q. 11. a. 1. dicit sic interrogantem a systata interrogare: actu enim exercito interrogat de iis solùm quæ ab homine sciuntur vt homine, & actu signato interrogat de iis quæ vt Deus nouit, ita vt virtute quærat, num nouerit vt homo tantùm, & simul vt Deus. Quare putat rectissimè ei responderi: Nescio, Non noui, & Non audiui in Confessione, vtrobique intelligendo, eo modo quo proponis, qui contradictionem inuoluit.

Quæres, Quid si Confessor audito aliquo peccato quod putat esse alicui reuelandum, dicat, Nolo hoc accipere sub Sigillo; an tunc desinat obligatio Sigilli. Respondeo: Nullo modo. Secus si ab initio dicat se nolle audire pœnitentis Confessionem, neque velle accipere sub Sigillo quæ dicitur tunc enim vt non est facta Sacramentalis Confessio, neque vlla eius pars inchoata, non est locus Sigillo Sacramenti huius, vt monuit Gerson Alphabeto 34. litera P. Existimo tamen posse esse locum secreto naturali

turali in tali casu. Ad demus quædam de hoc
infra Capite IX.

Quæri etiam hîc potest, quale peccatum
fit frangere Sigillum Confessionis. Respon-
deo, esse non solum mortale, sed inter mor-
talia valdè enorme, vt benè dicit Gerson in-
frà citandus Cap. XI. Habetque hoc notatu
dignum, quòd non excusetur à mortali cul-
pa per leuitatem materiæ, quando quòd re-
uelatum fuerit solum est veniale: quia et-
iam si esset leuis infamatio pœnitentis, non
est tamen leuis iniuria Sacramenti; quòd
extendendum est, siue dicat, & siue sciatur
se ex Confessione id dicere, siue non. In-
nocentius Tertius Serm. I. in Consecratione
Pontificis: *Caueat Sacerdos cui confitetur pec-
cator non vt homini, sed vt Deo, ne fortè post
confessionem auditam recordetur peccati: hoc
est, ne verbo vel signo innuat se scire delictum:
quia non dicitur, vt vitulus adducatur ad
ostium tabernaculi coram homine, sed coram
Domino. Grauius enim peccat Sacerdos qui
peccatum reuelat, quàm homo qui peccatum
committit.* Per imperfectionem tamen de-
liberationis excusetur à mortali, vt & alia
peccata, vt obseruat Siluius Suppl. q. I. I. a. I.
Ratio autem quare materiæ paruitas hîc
non excuset à mortali, est ea quam dedi-
mus I. 2. q. 88. a. 6. quòd paruitas materiæ

*Fractio Si-
gilli est
mortalis.*

*Non excu-
satur à
mortali
paruitate
materiæ.*

*Sed indeli-
beratione.*

non obftet quò minùs hìc reperiatur integra ratio irreuerentiæ & offentionis Dei, sicut etiam fit in periurio assertorio, & similibus. Quod vt intelligatur, aduerto, arctam illam obligationem celandi peccata confessa, non esse in eo fundatam, quòd peccata quæ celantur sint magna; sed in eo potiùs, quòd res maximi momèti sit & prorsus necessaria, totum negotium Confessionis esse secretum. Alioqui si ex eo quòd parvæ culpæ sit peccatum quod reuelatur, colligere liceat etiam esse parvæ culpæ ipsam reuelationem; licebit etiam ex eo quòd nõ necessariò confiteamur venialia, inferre quòd ipsa confessa non necessariò celentur; aut ex eo quòd secretiores defectus corporis aut natalium in Confessione detecti non sint peccata, eosdem etiam non esse celandos. Quare non dubitavit Henriques dicere, contrariam sententiam non esse probabilem, cui libenter astipulor; præsertim cum reuelare Confessionem sit intrinsecè malum, & ex genere suo mortale: venialium autem Confessio sit absolutè Confessio; & eorum reuelatio in proposito sit absolutè reuelatio Confessionis; præsertim cum etiam vnus peccati venialis Confessio, sit absolutè Sacramentalis Confessio. Accedit, quòd venialia quædam certi status personas multum infamèt,

vt diximus de Iustitia & Iure Tractatu 6.c. 1. dub. 3. & Tract. 7.c. 1. dub. 9. & in Confessione non teneatur pœnitens statum suum semper indicare, vt dicemus Cap. 19.

Quæres, an sit mortale, si Confessarius reuelet vnum veniale ex Confessione, apud illos qui ignorant an ex Confessione an aliunde id sciat. Respondeo, esse: ita tenet Martinus Bonacina de Sacramentis disp. 5. sect. 5. puncto 1. n. 5. Secus dicendum si ipse Sacerdos tale quid dixerit indeliberatus, & non aduertens quòd istud habeat ex Confessione, vt patet ex dictis.

Nota tamen, si dubitet Sacerdos an in Confessione & in ordine ad clauis sibi aliquid dictum sit à pœnitente, teneri ad seruandum illud secretum sub Confessionis Sigillo. Est communis Doctorum, quos citat & sequitur idem Bonacina puncto 2. n. 4. præsumi enim debet in fauorem Confessionis & Pœnitentis, ne Confessio fiat odiosa. Rectè etiam obseruat idem Auctor ibidem puncto 4. n. 24. non posse Confessarios, qui eiusdem pœnitentis Confessionem audiuerunt, de peccatis eius tamquam Medici de morbo inter se conferre: esset enim fractio Sigilli, & reuelatio confessi.

Obiicies contra doctrinam iam traditam, solere Confessiones reuelari per Pœ-

nitentiarium, vt patet apud Socratem lib. 5. cap. 19. & Sozomenum lib. 7. cap. 16. & in Tripartita lib. 9. cap. 35. Respondeo cum Estio in 4. d. 17. illam reuelationem nunquam in vsu fuisse inuitis ipsis pœnitentibus; sed in casu obiecto, qui accidit tempore Nectarij Archiepiscopi Constantino- politani, potius inuito aut etiam nescio Pœnitentiarium, peccatrix pœnitens vitiata à Diacono, peccatum suum est publicè professsa. Quamuis & hoc obseruandum, Pœnitentiarium illum, vt multi obseruant, Præfectum pœnitentiæ publicæ fuisse, qui re communicata cum Episcopo discerneret quænam peccata pro pœnitentia publica facienda, & satisfactione Ecclesiæ essent publicanda, & publica pœnitentia expianda, quæ non. Ita tenet Valentia in 3. p. disp. 7. q. 9. p. 2. Existimo tamen, non omnes pœnitentes hunc Pœnitentiarium adiuisse, sed eos qui ita grauiter aut publicè peccassent, vt ad pœnitentiam publicam pro more qui tunc erat, fuerint inducendi, aut de quibus, an tales & quousque tales essent, poterat esse dubium. Ita tenent Lessius & Lensæus: item Bellarminus lib. 5. de Pœnitentia cap. 14. Verùm penes Lectorem liberum sit iudicium de ista re. Hoc solum certum habemus, non solere ex Confessione Sacramentali

*Nectarij
factū Pœ-
nitentia-
rium abro-
gantis ex-
plicatur.*

tali vniquam peccata reuelari populo, nisi de consensu confitentis. Teneamus etiam contra Calvinum, non abrogasse Nectarium Confessionem secretam. Reliqua quæ circa hanc historiam moueri possent, alterius sunt instituti. Quod tamen dixi, in scio Pœnitentiario mulierem fornicationem suam cum Diacono prodidisse, ita accipe: quòd quædam peccata sua iussa publicè fateri, hoc scandalosum iniussa prodiderit; Nectarium autem ideò sustulisse Confessionem publicam, quòd eius occasione, licet non per abusum Pœnitentiarij, scandalum istud accidisset. Sanè vel ex eo ipso facto constat, quàm sit necessarium Secreta Confessionis Sacramentalis occultari: sicuti enim publica Confessio abrogata est propter silentii peccati detectionem; ita etiam secreta Confessio facilè tolleretur non seruato Secreto.

Obiici etiam potest, Potamij Episcopi Braccarenfis confessionem fuisse reuelatam in Concilio Toletano decimo per fidelem Confessorem. Respondeo, esse mendum in Compendio Caranzæ, quod nonnullos decipit: vbi enim quidam legunt, *Tunc per fidelem Confessorem eius agnito quòd tactu femineo sorduisset*, legendum est non *Confessorem*, sed *Confessionem*: ipse enim Potamius suum delictum vtrò prius per schedulam ab-

sens, deinde viua voce coràm confessus est: de Confessore autem nulla fit mentio, neque in editione Vulgata, neque in editione Ioannis Garliæ.

Sigilli violatio ad quam peccati specie pertineat.

Quæres, ad quam speciem peccati pertineat violatio Sigilli. Respondeo, esse contra Religionem: quia est quædam profanatio Sacramenti, atque ita est sacrilegium. Est etiam cōtra fidelitatem, non seruare arcanum sibi commissum: vnde Sapiens dicit: *Qui autem fidelis est, celat amici commissum*, atque ita est quædam infidelitas. Est tertio contra charitatem: nemo enim vellet sua secreta ab alio detegi. Quarto, addunt quidam esse contra veritatem: sed hoc verum non esse, supra diximus. Quinto, est contra iustitiam; quia proximum infamat.

Cap. 2.

Quæres ex Angelo, an Sacerdos intelligēs ex Confessione fornicarij quòd in Ecclesia fornicatus sit, possit monere Ecclesiam esse pollutā. Respondeo: Ex Confessione ne hoc generatim dicat. Si sit omnino occulta pollutio, certum est esse tacendum; quia non indiget reconciliatione. Si non sit omnino occulta, sic saltem agat, vt non sciatur ex Confessione se negotio isti miscuisse, & omnino caueat ne indirectè prodat pœnitentem aut Confessionem.

Quæ-

Quæres, Quid si sub pœna excommunicationis præceptum sit ab Episcopo, vt si quis sciuerit auctore criminis alicuius, eum prodat, & Sacerdos ex Confessione sciuit Titium fecisse? Respondeo: Nullo modo potest eum prodere, ne quidem secretò reuelando Episcopo: quod valdè inconsideratè quosdam dixisse, meminit Glossa in c. Sacerdos, de Pœnitentia dist. 6.

CAPVT IV.

An possit Confessarius de consensu confitentis reuelare Confessionem.

CERTVM est posse; quia hæc obligatio celandi oritur quasi ex pacto generali, quod Deus voluit subesse in hoc Sacramento. Potest autem pars, cui ex pacto quis obligatur aliquid in sui fauorem facere aut omittere, relaxare illam obligationem; sicuti promissarius relaxat promissionis sibi factæ obligationem: neque tamen ideò definit esse Sacramentum Pœnitentiæ; quia, vt patet in Confessione & pœnitentia publica, si talis Confessio fieret vt Sacramentalis Confessio, & non tantùm vt Satisfactio, potest hoc Sacramentum consistere sine perfecto tali secreto: neque est contra rationem Sacramenti, saltem quando consentit pœnitens;

C 5

nitens;

nitens ; quia occultatio Sacramentalis vt talis, est in fauorem pœnitentis, cui renuntiat non dispensando, sed mutando materiam. Est quidem verum, quòd ea quæ ex Confessione Sacerdos nouit, non nouerit vt homo, sed vt Deus, vt dicit non tantum D. Thomas, sed etiam Eugenius Papa cap. 2. de Officio Iudicis ordinarij: sed quâdo ei pœnitens dat licentiam reuelandi, facit vt iam Sacerdos hoc nouerit etiam vt homo, vt apertè dicit D. Thomas Suppl. q. 11. art. 4. in corpore ; quamuis aliter sentiat Vasquius de Pœnitentia q. 93. a. 4. dub. 5. habet enim pro iterum quasi extra Confessionem explicato illud peccatum, cuius reuelandi facit Confessario facultatem.

*Confessa
nouit Sa-
cerdos vt
Deus, vt
homo autè
post licen-
tiam reue-
landi.*

*Non tamen
sufficit præ-
sumptus.*

Vnde patet, nihil hîc ad excusandam reuelationem facere consensum præsumptum pœnitentis : debet enim esse explicitus, & qui quasi nouam peccati detectionem aut narrationem inuoluat. Itaque non est hîc locus præsumptioni consensus : nemo enim potest præsumere, factum esse quod scit factum non esse. Non potest ergo Confessarius præsumere, sibi extra Confessionem dictum esse à pœnitente, ad eum finem vt reuelare possit, quod scit ne quidem inuolutè data illo modo licentia sibi esse dictum.

Sed quæres, an sufficiat pœnitentem ante
Con-

Confessionem dedisse licentiam Confessario: v. g. tantum confessurus est vnum peccatum, & expedit plane illud indicari certae personae, puta Iudici, eò quòd sit homicidium de quo alius accusatur, an sufficiat quòd dicat ante Confessionem, Consentio vt peccatum, quod confitebor, tali Iudici reueles. Respondeo, sufficere: satis enim extra Confessionem reuelatur peccatum, vt censeatur iam id scire etiam vt homo Confessarius post Confessionem; etiamsi praecesserit ista licentia facta quasi vago modo, indiuiduato tamen per istam qualemcumque demonstrationem.

Licentia etiam ante Confessionem data sufficit.

Quæres, an econtrà ergo rectè confiteatur qui dicit Confessario, Confiteor hoc adulterium, in quo me nuper deprehendisti; vel rectiùs loquendo, Confiteor peccatum illud quod me scis tali tempore admisisse. Respondeo: Quando simul satis dolorem praesentem & conscientiam cum qua admisit explicat, potest, praesertim in necessitate breuiter confitendi, & in magna turbatione poenitentis, vt fit quando iectum lictoris pro publico peccato expectat, sufficere talis confessio. Oportet tamen enarrare simpliciter Sacerdoti etiam ipsi nota peccata; sicuti Deo qui omnia nouit, etiam in particulari, cum detestatione ea confitemur.

Adria-

Adrianus in 4. docet, confitenti satis esse, quòd Sacerdoti, qui suum peccatum quod fateri vult vidit, dicat se petere à tali peccato ab ipso Confessore viso absolui; & si priùs eidem sit confessus, & non absolutus, dicat se petere absolui ab aliàs auditis. Imò si schedulam Sacerdoti porrigat, quæ omnia eius peccata descripta contineat, putat lecta schedula per Sacerdotem posse ab eo absolui. Verùm de his accuratiùs censere non est huius loci. Patet ex dictis, non rectè quemdam alioqui eruditum reprehendere eos qui dicunt, ideò Confessarium non posse sibi confessi peccata reuelare, quia ea nouit vt Deus: quasi eo posito, ne quidem facultate pœnitentis obtenta ea reuelare possit. Potest enim ideò ex consensu pœnitentis reuelare, quòd consensus iste iam faciat, vt etiam tamquam homo Sacerdos sua peccata nouerit.

An ex licentia pœnitentis reuelat Sacerdos ea quæ scit vt Deus.

Dices: Si hæc vera sunt, non tam de licentia pœnitentis, quàm ex narratione extra Confessionem à pœnitente facta, Confessarius Confessionem reuelat in casu huius Capitis: imò non Confessionem, sed narrationem à Confessione quasi distinctam reuelat; atque ita nullus omnino datur casus quo liceat Confessionem reuelare, etiam de consensu pœnitentis. Respondeo, non dari casum

casum quo liceat reuelare Confessionem vt facta est soli Deo, benè posse defendi; sed licentia confessi facit, vt iam censeatur detectio facta homini: & insuper vt secundum intentionem pœnitentis, & concurrente iusta & legitima causa, liceat communicare alteri istam notitiam iam factam communicabilem ad eum finem humanum. Vnde patet esse magnam differentiam inter casum huius Capituli, & casum Capituli 10. ibi enim licet scientia rei confessæ vti, quia est humana; hîc autem, cum non sit humana, ideò sit humana vt liceat ea vti. Quare non recipio quod Delrius dicit, quando pœnitens extra Confessionem narrat peccatum suum vt licentiam det reuelandi, quod quidam requirunt, iam licere ex alio capite Sacerdoti Secretum Confessionis referre. Certè narratio confitentis non sufficit, etiam si post Confessionem fiat, sine licentia: imò si statim fiat post Confessionem, tamquam appendix eius Sigillo continetur, vt dicit Synodus Mechliniensis: si autem colloquendo cum Sacerdote alio fine post intervallum temporis fiat, non potest Sacerdos ideò reuelare istud secretum, sed vi Sigilli inter ipsos hoc arcanum manere debet, quando depèdenter quodammodò à Confessione dicitur: & in omnem euentum manet.

net.

net saltem obligatio silendi ex Iure naturæ,
Si tamen hoc solum velit Delictio, peccati
narrationem à pœnitente repetitam extra
Confessionem, ponere ipsum in inferiori
gradu Secreti, eo modo quo iam insinuauimus,
verum dixerit.

Contra doctrinam huius Capitis obiiciet
quis, non posse quemquam suo favori renun-
tiantem, quando simul coniunctus est fa-
uor publicus, c. Si diligenti, de Foro com-
petenti: atqui in fauorem totius populi
Christiani, non tantum huius pœnitentis,
introducendum esse Sigillum: si enim tantum
ageretur de bono priuato confitentis in Si-
gillo seruando, ad eripiendam periculo Ec-
clesiam aut Rempubl. liceret reuelare Con-
fessionem. Respondeo: Renuntiatio in pro-
posito benè fit & validè; quia ius quod ha-
bet totus populus Christianus, in proposito
non læditur per renuntiationem huius pœ-
nitentis. Satisfit enim in hoc toti populo
Christiano, si Confessio numquam reuele-
tur nisi reuelante & consentiente confesso.
Itaque casus cap. Si diligenti, non est simi-
lis; quia læditur ius Prælati Ecclesiastici qui
est Iudex competens, quando Clericus re-
nuntiat priuilegio fori, vt benè obseruat Sil-
uester v. Exemptio q. 10. Similis est casus
cap. Cum tempore, de Arbitris. vbi indica-
tur

*Consensus
pœnitentis
in reuelatione Con-
fessionis nõ
preiudicat
populo fide-
li.*

tur non valere pactum compromissi, quando compromittens non tantum ius suum, sed ius tertij remittit. In proposito autem non præiudicatur iuri tertij. Rectè observat Adrianus, relationem Confessionis per se primò solùm esse in fauorem confitentium, quamvis ex consequenti concernat fauorem publicum. Et quoad istud, putat esse eandem rationem naturalis secreti & huius Sacramentalis. Itaque cum certum sit, naturale secretum licere detegere ex consensu eius qui tibi commisit; etiam licebit ex consensu pœnitentis reuelare sigillata in eius Confessione Sacramentali: quomodo nempe de consensu auctoris aperiuntur literæ à se sigillatæ.

Ceterum non defuerunt qui etiam ex consensu confitentis negauerunt posse reuelari Secretum Confessionis. Pro quibus stat in primis ipse Scotus in 4. d. 21. quamvis admittat licere reuelare, si ipse pœnitens postea repetat extra Confessionem, & det facultatem Confessario suo peccatum reuelandi certæ vni personæ aut pluribus designatis. Scotum sequuntur sui, Petrus de Aquila, Maior in 4. d. 21. q. 2. Angelus v. Confessio, ultimo. Alij, quamvis à communi & nostra sententia non recedant, aperte tamen dicunt, sententiam alteram, quæ ex consen-

consensu pœnitentis negat posse reuelari Confessionem, vtiliorem in praxi fore, & Religioni Christianæ & Sacramento Pœnitentiæ. Ita Couarruias in 4. Decretalium p.2. c.8. §.12. n.11. Salsedo ad Practicam criminalem Canonicam Diaz c.109. Istud facile admiserim, non nisi ex legitima causa vtili & honorifica confitenti, imò satis necessaria, vtendum esse hac praxi; & etiam ipsum, cui de consensu pœnitentis fit reuelatio, teneri secreto Sigilli, vt dicemus Cap. 13. Item, non suffragari consensum pœnitentis, si indebitè sit extortus, vtpote persuadendo ei quòd teneatur consentire quando reuerà non tenetur; aut si maritus cogat adulteram, vt det licentiam Confessario dicendi sibi quod ipsa de adulterio sit confessa. Item, si in perniciem, damnum, aut infamiam id vergeret pœnitentis, vel alterius, non posse istud reuelare cum eius consensu Confessarium. Ita Nauarr. in c. Sacerdos, numero 159. Vnde colligo, si mater adulterium confiteatur, & det licentiam Sacerdoti illud reuelandi vt filium adulterinum hereditate excludat, & infamet; non debere Confessarium ex illa licentia procedere. Neque verum existimo quod dixit Graffius Deci. l. 1. c. 23. n. 14. ex tacito consensu pœnitentis posse eius reuelari Confessionem,

*Non facile
pœnitens
dare potest
consensum
reuelandi
Confessionem.*

tionem, quando cedit in ipsius confitentis utilitatem. Itaque, si morti proximus habeat occultum debitum ex delicto, & petat à Sacerdote restitutionem iniungi heredibus, non poterit Sacerdos dicere, hoc ex delicto deberi, sed solum quod talibus hoc dari voluerit; & fatius esset suadere moribundo, ut secreto suo codicillo talia inserat heredibus iniungenda. Si tamen ex sola executione mandati oriatur suspicio delicti, Sacerdos mandatarius excusatur, ut bene Reginaldus. Quod ergo Graffius dixit, esse casum quo sufficiat tacitus consensus pœnitentis, ut Confessarius peccatum eius reuellet, per abusum est dictum; cum potius dicere debuerit, & fortè, ut arguit exemplum quod adducit, voluerit, dari casum, ubi ex actione Confessarij, in quam pœnitens aperte consensit, tacite sequatur reuelatio peccati. Sanè multum differunt, tacitum esse consensum, & esse consensum in tacitam reuelationem.

Tacitus consensus in reuelationem distinguendus à consensu in tacitam reuelationem.

Pro coronide huius argumenti expendendus est egregius locus Leonis Epist. ad Episcopos Campaniæ, quæ est 80. ubi etiam de licentia pœnitentis vetantur peccata Confessorum publicè recitari, quod nimirum neque honorificum hoc sit pœnitenti, neque necessarium. Certè quia multis periculis

D obno-

obnoxia est res ista, non displicet consiliū S. Bonauenturæ, in reuelatione istorum peccatorū expedire potiùs, quòd Sacerdos pœnitentem constituat suum nuntiū, quàm quòd Sacerdos fiat nuntius pœnitētis, quantum nimirum necessitas permittit: vt enim citra necessitatem non est etiam ex consensu pœnitentis facienda per Sacerdotem reuelatio Confessionis; ita etiam, posito consensu, non est facienda ista reuelatio per Confessarium, quando commodè fieri potest per ipsum pœnitentem.

Aduertit benè idem Graffius, ex licentia pœnitentis pendere an liceat eius exprimere personam in hac detectione: fieri enim potest, vt non sit istud necessarium, & non intenderit confitens eousq; extendere suam licentiam.

Est & alia cautela bona, vt fidem faciat Sacerdos, se de licentia pœnitentis tale quid reuelare. In quo tamen rursus cautè agendum est: fortè enim expediet aliquando, & pœnitens optabit, nulla facta mētione Confessionis, negotium secretò cum eo cuius interest communicari. Itaque etiam hoc expendendum est, vtro modo malit fieri. Si enim de licentia confessi dicatur fieri, hoc habet commodi pœnitens, quòd cedat ei in testimonium emendationis, & silentium
arctius

arctius obliget eum cui crimen detegitur. Nisi tamen hoc expressum sit, non censetur licentia eò se extendere: quamuis enim peccatum possit Confessor reuelare, non tamen continuò potest addere se hoc ex Confessione scire, vt dicemus Cap. x.

Ceterùm, quòd diximus Confessarium peccata confitentis nosse vt Deum, non vt hominem, quibusdam displicet extra scholam D. Thomæ, inter quos est Melchior Flavius in 4. d. 21. his argumentis id improbens: Audit vt Dei minister, ergo non vt Deus. Secundò, Dicit in eadem persona, *Absoluo te*, atqui hoc non dicit vt Deus, sed vt minister Dei. Respondeo, nihilominus esse retinendum illum modum loquendi, quo etiam Pontifex Eugenius est vsus, vt suprà vidimus: non quòd hîc negemus humanum ministerium, est enim etiam in hoc Sacramento homo minister; sed quòd Sacerdos vice Dei hîc cognoscat & iudicet, ideoque iudicij sui thronum quasi in cælis collocatum habeat, vt benè obseruat Chrysostomus in verba Isaiaë Homil. 5. Huc etiam pertinet illud Anastasij Nicæni: *Si inueneris hominem spiritualem qui possit tibi mederi, citra pudorem & cum fide confitere ei, tamquam Domino & non homini.* & illud lib. 2. de Visitatione infirmorum D. Augu-

An Confessor sciat peccata vt Deus, non vt homo.

stino adscripti: *Ipsius humiliter subeundum est iudicium, quem Dominus sibi non dedignatur vicarium.* Idem dicit Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. *Ascensurus ad celos Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tamquam presides & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint.*

Ad Primum ergo respondeo, sequelam non esse bonam; potest enim minister Dei representare ipsum Deum, vt Angelus sæpè Deum in Scripturis representat. Ad Secundum: Absoluit potestate diuina Dei vice, qui ad hoc potestatem ei dedit, sequeratur habiturum eius iudicium promissit. In quo videmus differentiam remissionis peccati in Baptismo, & in hoc Sacramento. In Baptismo enim non iudicialiter per Sacerdotem, sed ministerialiter tantum remittuntur peccata: in Baptismo nudum est ministerium, hîc verò exercetur iudicium: in Baptismo Sacerdos est merus Dei minister, hîc simul est iudex, potestate à Deo sibi tradita, peccata (accusante se & contra se testificante pœnitente) Dei vice cognoscens, & arbitrio suo Dei vice vel ligans vel soluens. Vnde natus est is Veterum sermo, vt quasi soli Deo dicant eam fieri Confessionem, quæ in hoc Sacramento fit Sacerdoti, & per Sacerdotem Deo; & suæ conscientie relinqui

relinqui quoad Communionem, qui, sola secreta apud Sacerdotem facta Confessione, Communionem accedere permittitur Corporis & Sanguinis Domini; quod pater in iis quæ circa factum Nectarij dici solent, quorum nonnulla suprâ attigimus. Confule Baronium ad annum Domini 56. sanè Leo agens de hoc argumento Epistola 80. clarè dicit, Confessionem secretam factam Sacerdoti sufficere, & improbat consuetudinem seu vsurpationem quorundam, qui publicè volebant pœnitentium peccata recitari: *Cùm, inquit, reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari per Confessionum secreta.*

Quæres, an Confessarius, qui habet licentiam reuelandi peccatum in Confessione auditum, teneatur id reuelare præcipiente Prælato vel Iudice. Respondeo, non teneri, si sit occultum; quia homo non est iudex occultorum. Imò etiamsi pœnitens fuisset diffamatus de illo peccato (quod tamen Sacerdoti per solam eius Sacramentalem Confessionem innotuit) & infamia peruenisset ad aures Iudicis, & fortè res ita sit disposita ut ipse pœnitens interrogatus à Iudice legitimè teneretur fateri; Confessarius tamen illam facultatem habens à pœnitente, non teneretur Iudici interroganti &

An ex consensu pœnitentis possit Confessarius apud Iudicem contra reum testari.

præcipienti id reuelare, vt rectè Antoninus in Confessionali cap. 27. Ad do ad mentem eiusdem, neque licere hoc casu Confessario reuelationem istam: quia non oportet miscere forum pœnitentiale cum contentioso; & imprudens esset licentia pœnitentis qui hoc concederet, neque satis ordinata vt ea vti sit licitum Confessori. Adde, quod supra diximus, non nisi ex honorifica & vtili pœnitenti causa, Sacerdotem, etiam de licentia ipsius, reuelare posse peccatum, & non nisi apud eum qui secretum sit seruaturus: quæ omnia hîc cessant.

CAPVT V.

An obliget hoc Sigillum, quando pœnitens non quidem in reuelationem consentit, sed casus talis est vt consentire teneatur.

RESPONDEO: Etiam illo casu certum est manere obligationē Sigilli. Exempli causa: Quædam pœnitens detexit Confessario, in quadam domo fuisse conuenticulum hæreticorum: quamuis autem in genere hoc Episcopo extra Confessionem innotuerit, & debuerit in eiusmodi reuelationem faciendam Episcopo pœnitens consentire; certum tamen est non posse ipsa inuita Confes-

*Nō sufficit
consensum
esse debitū,
vt reueles
confessa.*

Confessarium Episcopo designare domum, in qua conciliabulum istud habitum fuit. Ratio huius responsionis est; quia causa, ob quam arctissimū hoc Secretum institutum est, etiam hīc militat. Ea enim est, ut homines inducantur ad libenter & plenē cum plena fiducia peccata sua confitēdum, quando sciunt non nisi suo consensu posse Confessarium ea sic audita reuelare. Si enim sufficeret debere eos consentire in eiusmodi reuelationem, iam quodammodo subeunt iudicium Confessarij, quoad casum concedendæ reuelationis; cū ante Confessionem, ut suprā indicauimus, præiaceat illud debitum arctissimum perpetui silentij in Confessario. Præcessit enim tacitum pactum silentij in omnem euentum, nisi ipse confitens in detectionem consenserit. Benè hanc quæstionem tractauit Adrianus de Sacramentis q. de Confessione. vbi aduertit, non esse mox licitum id facere pro alio, ad quod faciendum iste alius tenetur.

Quod sanè aded liquidum est, ut ei immorari non sit opus: neque enim mox tibi licet diuiti auferre quod pauperi des, quando ea est pauperis necessitas, ut diues ei eleēmosynam dare teneatur. Vtique etiam in aliis multis non idem operatur facti debitum, quod operaretur ipsum factum; non

56 IO. MALDERI TRACTATVS
idem debitum consensus, quod ipse consen-
sus. Sic consensus per verba de præsentis de-
bitè præstitus operatur vt horum carnalis
copula non sit peccatum, debitum autem
istius consensus hoc non operatur. Rectè
monuit Nugnus in Supplementum q. 11.
art. 1. sub finem, etiam si debeat hunc con-
sensus præstare pœnitens, si neget, non
posse quidquam dicere Confessarium: quod
non ita accipiendum est, quasi interdum
non debeat pœnitentem in hoc officij sui
monere, vt patebit ex sequenti Capite; sed
quòd ad nullam omnino reuelationem pro-
cedere debeat.

CAPVT VI.

An pœnitens, nolens consentire in reuelationem quando tenetur, sit absoluendus.

*Quàdo nolèri consen-
tire in re-
uelationem
debeat ne-
gari abso-
lutio.* **C**ERTVM est, non esse absoluendum, si
omnino sit liquidum quòd teneatur
consentire in istiusmodi reuelationem; &
neque ipse reuelare velit, neque in reuela-
tionem per Confessarium faciendam con-
sentire. Secùs si promittat se reuelaturum,
aut saltem proponat se reuelaturum prima
opportunitate; & malum quod per reuela-
tionem auertendum est, tale sit vt meritò
eiusmodi dilatio pœnitenti indulgeatur. Erit
etiam

etiam absoluendus, si aliquo modo probabilis sit opinio ipsius pœnitentis, qua putet sibi non incumbere vllam obligationem huius reuelationis faciendæ aut concedendæ hîc & nunc, cum istiusmodi suis, quæ verisimiliter timet, incommodis; de quibus prudenter Pœnitentiarius iudicabit. Quod obtinet etiam, quando est liquidum licere: sufficit, probabile esse non teneri. Cùm autem consensus extortus non sit pro consensu habendus, vt suprâ diximus, videat Confessarius, ne vtatur consensu pœnitentis, quando eum indebitè coëgit, nolens absolvere nisi det sibi licentiam peccatum reuelandi.

CAPVT VII.

An quando negatur absolutio defectu propositi non abstinendi aut parendi in necessariis, teneatur nihilominus Confessarius ad Secretum seu Sigillum Confessionis.

RESPONDEO, omnino certum esse quòd nihilominus teneatur ad hoc Secretum, etiamsi deficiat pœnitens, non faciendo quod debet in ipsa relaxatione obligationis huius Secreti. Quod extendo etiam ad casum quo induxerit pœnitens Confessarium ad audiendam suam Confessionem

sub hac pollicitatione expressa, quòd stabit eius mandatis, ipsiusq; iustissimum sit mandatum quo iniungit reuelationem istius Secreti. Ratio est, quia suprema lex Secreti huius manet intacta, utpote diuino Sigillo feuerissimè sancita, nisi specialis & explicitus consensus adsit pœnitentis de hac reuelatione; quo fiat, ut secundum dicta iam censeatur etiam hoc peccatum ut homo scire, non tantum ut Deus, per Sacramentalem Confessionem. Est communis sententia omnium Doctorum, quòd ad obligationem Sigilli sufficiat Confessio facta in ordine ad Claves, aut Sacramentalis; etiamsi dispositio aliqua requisita ad absolutionem desit, & nominatim etiamsi desit propositum non peccandi de cetero, aut adsit propositum continuandi peccatum. Rectè enim dicit Adrianus in 4. non esse totam rationem Sigilli, quòd Deus præsumatur remittendo peccatum tegere, cum etiam complicis peccatum, ut infra Cap. xvii. dicitur, sub Sigillum cadat; & etiam impœnitentium peccata, vel eorum qui consilium solum à Confessore exquirunt, sigillentur. Semper enim hoc videndum & cauendum, ne detectione eorum quæ in Cõfessione dicta sunt, Confessio fiat odiosa. Cuius doctrinæ veritas magis patebit sequenti Capite.

CAPVT

Cõfessi impœnitentis etiam peccatum celandum.

CAPVT VIII.

*An obliget Sigillum quando est facta
Confessio.*

CERTVM est, hoc Sigillum obligare quodcumque Confessio est aliquo modo Sacramentalis, etiamsi talis fuerit valde imperfectè, puta inchoatiuè tantùm, aut dispositiuè, aut mutilatè, aut sub conditione si Confessarius velit. Certum etiam est ex dictis, non requirere hoc Sigillum vt obliget, Confessionem esse factam cum ea dispositione vt obtineri possit absolutio: imò neque requiritur vt facta sit cum spe obtinendæ absolutionis. Tenetur enim Sacerdos non tantùm ea filere quæ remittit aut soluit, sed etiam illa peccata quæ ligat aut retinet: dicuntur enim cum aliqua semper relatione ad absolutionem ac remissionem, quæ tectio est peccati: quomodo etiam fanitas aliquatenus adhuc respicitur, quando alioqui desperati morbi etiam Medicis aperiuntur, si fortè consilio suo remedium suggerere possint. Et quia tales etiam audire & iuare consilio debet Sacerdos, secundùm cap. Quòd quidam, de Pœnitentiis & remissionibus; censetur sub Secreto Sacramentali eorum Confessionem excepisse & rece-

Sigillum obligat, etiamsi Confessio sit facta sine spe absolutionis.

recepisse. Ad inuestigandam itaque respon-
sionem propositæ quæstionis, videndum est,
an fictio, vnde dicitur ficta Confessio, efficiat
vt ipsa nullo modo sit Sacramentalis: tunc
enim non obligabit hoc Secretum. Si tamen
confitens verè confiteatur, & non fingat
Confessionem, sed fingat se Sacramentali-
ter velle confiteri, nullo modo intendens
subiicere se Clauibus, poterit esse naturalis
obligatio, non tamen Sigillum istud diui-
num, si omnino constiterit moraliter certò

*Non tamè
quando fin-
gitur ipsa
Confessio.*

Sacerdoti de tali fictione confitentis. Si ve-
rò non solùm se Sacramentaliter confiteri,
sed etiam ipsam Confessionem secundùm
substantiam fingat, ne quidem Secretum
naturale habet locum. Tunc enim ipsius
Confessio peccatum est, & potest de eo, si
alioqui conuinci possit, puta quia de tali lu-
dificatione sese iactauit, ad querelam Sacer-
dotis illusi etiam in foro externo puniri.
Exemplum est apud Sotum in 4.d.18.q.4.
art. 5. de sollicitante ad conspirationem con-
tra Papam, & apud Graffium de eo qui Su-
periori fingit se velle confiteri, & loco Con-
fessionis dicit ei in aurem; Si me multum
molestes, ego te interficiam. Talia semper
possunt, aliquando debent reuelari, vt bene
Eudæmon Ioannes Apologiæ pro Garneto,
cap. 13. Contrarium videtur tenere Maior

in

in 4. d. 21. eò quòd alioqui daretur occasio
 reuelandi Confessionem optimam, dicen-
 do, Dixit se irridere Confessionem, & se
 esse hæreticum: sed nimia ista cautela est.
 Ius defensionis omnino permittit, vt huic
 monstro, deridenti Confessionem simulata
 Confessione, larua detrahatur; non enim
 subiectus esse debet Christi minister eius-
 modi ludificationibus, ex quibus maxima
 sequerentur incommoda. Petrus Ledesma
 de Pœnitentia, cap. 22. tenet nostram sen-
 tentiam, & absoluit à Sigillo Confessarium,
 quando confitens non querit remedium aut
 consilium contra peccata sua, nec vllò mo-
 do ea recitat in ordine ad Claves. Catholi-
 ci tamen rariùs eò nequitia pertingunt; hæ-
 retici facilè talia perpetrant. Quare meritò
 de talibus simul inquiritur, an sint hæreti-
 ci, prout de Sacerdotibus in Confessione ad
 turpia sollicitantibus statuit Pius IV. scri-
 bens Archiepiscopo Hispalensi in Constitu-
 tione quæ incipit, *Cùm sicut nuper*, his ferè
 verbis: *Nos in animum inducere nequeunt,*
quòd, qui de fide Catholica rectè sentiunt, Sa-
cramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur,
aut illis iniuriam faciant; mandamus, quate-
nus contra de præmissis quomodolibet infam-
atos procedas, tam super præmissis, quàm su-
per fide Catholica, quid de ea sentiant. Inno-
 uauit

uauit hanc Constitutionem Gregorius XV.

*Secretum
sub Sigillo
Confessionis
acceptatū
quomodo
obliget.*

Ex dictis colligitur, quo gradu obliget Secretum quod Sacerdos aut laicus accepit extra Confessionem sub Sigillo Confessionis. Non enim excedit obligationem Secreti naturalem, adeò vt possit ingruere Reipubl. necessitas, ob quam liceat eiusmodi Secretum reuelare: neque homini alteri aut quis sibi extra Confessionem Sacramentalem potest talem & tam arctam obligationem Secreti imponere: adeò vt hoc ipsum conari, abusus quidam meritò reputetur, qui non nisi per ignorantiam à peccato excusetur. Aliud dixero de eo, qui volens stipulari Secretum, dicat, Reuelabo tibi tamquam in Confessione, per vocolam *tamquam* non intendens æqualitatem, sed generalem solum similitudinem. Manifestum hoc vel inde est, quòd sæpè talia non sint materia Secreti huius Sacramentalis. Et ita tenent communiter Doctores: Victoria in Summa n. 190. qui indicat esse nihilominus maius ceteris obligationis naturalis Secretis: Delrius Disq. mag. 1.6.c. 1. sect. 2. qui in commitendis peccatis notat facilius cessare obligationem huius Secreti: Panormitanus in c. Omnis; quamuis ipse putet, Sacerdotem, cui extra Confessionem ad eum modum Secretum commissum est, non facile debere reue-

reuelare propter scandalum, nisi produca-
 tur in testem. Non pauci Doctores, vt of-
 tendant, extra Confessionem commenda-
 tum sub Sigillo Sacramentali, non obligare
 sub Sigillo illo Sacramentali, vt utitur cap. Cle-
 ricus, de Iureiurando, vbi dicit Pontifex,
 Clericum qui iurauit Statuta edita se serua-
 turum, & Statutum postea subsecutum pro-
 misit per idem iuramentum prius praestitum
 seruare, non teneri ex iuramento ad poste-
 rioris illius Statuti obseruantiam, sed tan-
 tum ex promissione. Verum quia intellectus
 illius Canonis est obscurus, non facile per-
 cipitur vis argumenti. Aduertendum itaque,
 casum Canonis à Pontifice ita acceptum
 esse, vt Clericus iste verè non iurauerit in
 secunda promissione, sed solùm promiserit
 se seruaturum posterius illud Statutum sic-
 ut priora quæ iurauerat. Argumentum ita-
 que in nostra materia tale est: Qui promit-
 tit se seruaturum Statutum aliquod non iu-
 ratum sicut à se iurata, solùm tenetur vt
 promittens simpliciter, non autem vt iure-
 iurando interposito promittens, vt docet
 cap. Clericus: ergo similiter qui promittit
 celare aliquid sicuti celantur ea quæ in Con-
 fessione audiuntur, tenetur quidem Secreto
 ex promissione simplici, sed non tenetur
 æquali obligatione, qua teneretur si in Sa-
 cramen-

64 IO. MALDERI TRACTATVS
cramentali Confessione accepisset; sicuti
qui promittit se seruaturum aliquid non se-
cùs ac si illud seruaturum se iurasset, non
tenetur æquè ac si iurasset. Aliud enim est
dicere, Iuramento me obligo, addendo iu-
ramentùm; aliud verò, Obligo me seruatu-
rum non secùs ac si iuramento obligatus
essem. Idem est, si quis promittat in sæculo
manens seruare ita castitatem, quasi voto
solemni Religionis aut Ordinis sacri esset
obligatus. Talis enim non nisi simplici voto
est obligatus.

CAPVT IX.

*An obliget Sigillum, quando ex parte Sacer-
dotis stat quò minùs Confessio sit Sa-
cramentalis.*

CONTINGIT variis modis defectum esse
ex parte eius qui Confessionem exci-
pit, quò minùs Confessio sit hìc & nùc pars
integri Sacramenti, cum tamen à pœnitente
ea fiat in ordine ad Claues: vtpote si laicus
se fingat esse Sacerdotem, & se pro exci-
piendà Confessione exponat, aut aliquo er-
rore pœnitentis putetur esse Sacerdos; si Sa-
cerdos non approbatus Confessionem au-
diat; si in genere approbatus ab Episcopo,
eam audiat sine iurisdictione vlla in confi-
tentem

tentem sibi communicata; si etiam iurisdic-
 tionem habens sit suspensus à Confessio-
 nibus audiendis. Contingit etiam audire ip-
 sum Sacerdotem casus referuatos, à quibus Sacerdos
audiens Cō-
fessionem
 absoluere non potest. Verùm in omnibus teneretur Si-
gillo, etiã si
iurisdictionem ad ab-
soluendum
nō habeat.
 istis casibus, si modò adsit intentio Sacra-
 mentalis Confessionis, certum est nihilomi-
 nùs arctissimè & perfectissimè obligare Si-
 gillum Confessionis: tunc enim omnia di-
 cuntur in ordine ad Claves, & dicuntur non
 homini, sed Christo Domino, qui suum Sa-
 cramentum voluit esse secretum, & nullo
 casu sine consensu pœnitentis posse reue-
 lari. Viderit itaque qui magno sacrilegio se
 ingessit audiendo, ne maius addat scelus
 furtiuè audita reuelando. Est tamen quæ-
 dam circa iam dictos casus notanda diffe-
 rentia: quia qui laico confitetur sciens esse
 laicum, aut inferiori Clerico sciens non ef-
 se Sacerdotem, non videtur peccata sua sub-
 icere Clauibus, quas nouit hunc non habe-
 re (nisi fortè eo vtatur internuntio ad Sa-
 cerdotem, aut in eo inuincibili errore ver-
 setur, quòd etiam inferiores Ecclesiæ mini-
 stros putet habere hanc Clauem potestatis
 absoluendi) ideoque ex tali Confessione
 non oritur Sigillum istud diuinum in omni
 casu seruandum. Quando verò Confessio
 fit Sacerdoti iurisdictionem non habenti et-

E iam

iam scienter, si fiat ei nomine Christi, locum habet Sigillum: quòd enim hìc & nunc non possit absoluere, non efficit quòd minùs Confessio ei facta sit ordinata ad absolutionem: ita vt accedete iurisdictione, facta non sit repetenda, sed possit talis postea absolui à Sacerdote, cui iam data fuerit post Còfessionem iurisdictione. Aliud dicendù, si non in ordine ad absolutionem, sed tantùm consilij causa tali Sacerdoti fiat Confessio: tunc enim solùm orietur Secreti obligatio naturalis.

At dices: Confessio vt sit Sacramentalis, debet fieri coram legitimo Iudice: talis autem Sacerdos non habens iurisdictionem, nondum est legitimus Iudex; ergo Confessio ei facta non est Sacramentalis, & ex consequenti non potest introducere obligationem supernaturalis Sigilli. Respondeo ad Minorem, Eo ipso quo quis Sacerdos est, habet potestatem illam absoluendi quæ in Ordinatione datur, ideoque aliquo modo inchoatiuè Iudex est. Quòd autem hoc in quibusdam casibus ad audiendum Confessionem sufficiat, manifestum est in reseruatis; & quando post Confessionem incideret pœnitens in periculum vitæ, posset absolui virtute Confessionis priùs factæ, etiam si Sacerdos tempore Confessionis non habuerit iurisdictionem, quam tum demum accipit
quan-

quando extremum vitæ periculum ingruit. Que doctrina generalior est: sola enim Confessio sufficit vt introducatur Sigillum, non requisita cõtritione, aut proposito abstinendi ex parte pœnitentis, aut potestate iurisdictionis ex parte Confessoris. Signum est, quia Confessio non iteratur his defectibus sublatis; non ergo requiritur vt actu sit pars Sacramenti, sed sufficit quòd posset vel potuerit esse pars Sacramenti, vel quòd vt talis recipiatur, vt rectè Adrianus in 4. alioqui enim Sacerdos ex malitia non absolvens, vel fortè ægritudine aliqua vel repentino casu impeditus, non teneretur postmodum accepta in Confessione celare.

Quæres, an obliget Sigillum si quis confiteatur alicui Sacerdoti, contra ipsius Sacerdotis voluntatem. Respondeo: Si volûtatem habuit audiendi, sed non absoluendi, obligat: item si initio voluerit audire, sed in progressu fiat inuitus. Si autem ab initio recuset, & tamen audiat, videtur non obligare, quia non audit vt Deus, siue vice Dei; renuit enim fungi officio Sacerdotali; & ita tenet Suarez. Existimo tamen (si nihilominus pœnitens ei vice Dei, vt putat, sua peccata detegat) teneri propter conatum pœnitentis, qui tamquam vice Dei conatur ei loqui; sicuti diximus teneri laicum qui putatur esse Sacerdos errore

Inuito facta Confessio an sub Sigillum cadat.

pœnitētis: is enim tenetur celare peccatum, etiam si omnino inuitus audiuerit; sicut & ille qui propè constitutus audit quid Confessori pœnitens dicat, vt infra dicemus.

CAPVT X.

An obliget Sigillum quando Confessario etiam aliunde peccatum innotuit quàm ex Sacramentali Confessione.

CASVS iste frequens est, vt vel ante vel post Confessionem Sacerdos resciscat idem illud peccatum, quod in Confessione audiuit: quæritur an teneatur, propterea quia in Confessione audiuit, non vti scientia extra eam comparata reuelando peccatum. Res adè certa est quòd possit citra violationem Sigilli, vt mirum cuiquam videri possit tale dubium à nobis proponi. Sed aduerto apud Bonauenturam, non defuisse olim, qui dicerent non licere Sacerdoti, qui vtroque modo extra & ex Confessione nouit, reuelare peccatum, siue ante siue post Confessionem nouerit; & alios distinxisse, quasi non posset reuelare si antè nouisset, secus autem si postea rescuisset. Pro solutione obseruandum est in primis, per Confessionem pœnitentis peccatum certius quoad substantiam, & extensius seu perfectius cognosci quoad

quoad animum quo admissum est: quare etiam quando aliunde scis Confessarium de peccatis tuis scire, teneris nihilominus eadem in Confessione teipsum accusando ei dicere, vt supra monuimus. Esset itaque fractio Sigilli, si Sacerdos peccatum, quod utroque modo in Confessione & extra eam nouit, dicat se certò scire malo animo admissum esse, quod videndo aut audiendo non potuit scire tam certò quo animo sit admissum, nisi aliud accedat. Consultum itaq; valdè est, etiam de talibus tacere Confessarium, quando eiusmodi periculis posset intricari facilè de talibus loquendo. Nam & memoria falli potest, existimans se etiam extra Confessionem audiuisse, quod in ea sola audiuit, præsertim in præcipiti loquacitate. Potest etiam contingere facilè, vt poenitens audiens tale quid narratum fuisse à Confessario, ignoret aliunde quàm ex Confessione sua ipsi hoc innotuisse, atque ita grauius scandalizetur, & à Confessione Sacramentali auertatur, Prudens ergo Confessarius, cum sciat non facilè alterius crimina narranda esse etiam extra Confessionem audita, difficilior erit & secretior in illis memorandis etiam aliunde sibi notis, quando eadem per eius Confessionem audiuerit. Meminerit autem Sacerdos, etiam de publi-

Scientia peccati extra Confessionem accepta Confessario uti licet, sed valdè circumspectè.

cis peccatis non licere ymquam dicere, Hæc mihi iste confessus est, sine eius licentia, Idem dixero, si dicat de tali, Etiam publica sua peccata mihi est confessus. Secus si dicat, Omnia sua peccata est mihi confessus. Monuit rectè Gerson, Superiorem posse punire peccatum quod in Confessione audiuit, quando aliunde etiam ei innotuit, alioqui pro impunitate obtinenda abuterentur Confessione. Ita ipse Alphabeto 34. litera Q. qui addit, tali casu esse explicandum modum quo rescivit Prælati extra Confessionem hoc peccatum, nulla facta mentione Confessionis: si verò tunc is qui punitur queratur de reuelata Confessione, nouam ipsum mereri pœnam, quando sciretur id contra conscientiam quæri. Præterire non possum, generalius in hoc argumento loqui Gratium; qui tenet, Sacerdotem qui ex Confessione & extra eam nouit peccatum, si absque utilitate & necessitate reuelaret, teneri parti ad interesse & actione iniuriarum, sicuti tenetur quilibet reuelans secreta alterius: addendum enim aut subintelligendum est, si peccatum erat secretum. Sacerdos enim ratione auditæ Confessionis non magis ex iustitia tenetur in illo casu crimen celare, quàm si solùm aliunde ei innotuisset.

At non immeritò quæret quis, sitne idem dicen-

dicendum, quando extra Confessionem ab ipso pœnitente Confessarius antea vel postea peccatum narrari audiuit. Respondeo, eandem esse rationem, quando omnino independenter à Confessione illud audiuit, ita tenet Reginaldus l. 3. c. 5. n. 6. Aduerto tamen, non conuenire vt Sacerdos vniquam fateatur aut dicat, Hoc peccatum Petrus mihi confessus est; vel, Hoc peccatum mihi confessus est, sed sine contritione, aut sine abstinenti proposito; etiam si Petrus passim confessum se esse tale peccatum eidem Sacerdoti iactaret, & Confessarius ita eum iactantem audiuisset. De ipsa tamen iactatione eius potest Confessarius testimonium ferre, si opus fuerit. Refertur, Martyrem Garnetum, instante sibi martyrio, dixisse, se de conspiratione in Regem nihil nisi in Confessione audiuisse: vbi fatendo se in Confessione audiuisse, videtur contra iam tradita à nobis fecisse. Verùm non solum id aliunde iam notum erat, sed & hoc concurrir, quòd in particulari Martyr nihil de confessis dixit, sed tantum voluit dicere, se de coniuratione nemini quidquam detexisse, eò quòd extra Confessionem nihil de ea haberet.

Quæri & hoc potest, an Sacerdos cui aliquid furto sublatum est, & qui habet indi-

cia quòd illud furtum Titius admiserit, non possit ea indicia apud Indicem denuntiare postquam Titius ipsi Sacerdoti furtum Sacramentaliter est confessus. Respondeo, posse, modò nihil adminiculi ad actionem instituendam sumat ex Confessione. Ita communiter Doctores, Valentia disp. 7. q. 13, p. 4. Sotus d. 18. Vera ergo opinio est, quòd liceat vti ex iusta causa, scientia aliunde accepta de materia Confessionis, modò non addatur quòd ex Confessione idẽ habeatur.

Sed obiiciunt aliqui: Si amico tibi secretò reuelanti suum peccatum, promiseris secretum id seruare, teneris, etiamsi aliunde sciueris illud idem peccatum; ergo Confessor tenetur celare, etiamsi aliunde nouerit, quia fortiori vinculo ipse tenetur quàm promissor. Respondeo: Sacerdos non promittit actu vel virtute non vti scientia de peccato aliunde comparata. Est tamen verum, quia abstinendum est etiam à specie mali, quòd non debeat æquè facilè vti ea scientia extranea ac alius; imò dicit D. Bonauentura, se credere quòd ex æquo & bono magis teneatur silere quàm alius: ideoque verisimile est posse incidere casum, vbi rectè pœnitenti indicet Confessor, se non idcirco teneri seruare secretum, quòd de materia Confessionis prius nouit; quando nimirum

sic

sic tollit scandalum quo offenderetur pœnitentis, si contingeret debere reuelari cogente Superiori, vt futurum fortè Sacerdos timet. Ego tamen cum Turrecremata existimo, non facile Sacerdotem debere talem protestationem facere in ipsa Confessione, quia nihil operatur, & posset habere mali speciem. Rectius ista extra Confessionem fiunt. Addit idem S. Bonauentura, debere Confessarium in eiusmodi casu se permittere cogi ad dicendum testimonium. Cogi autem intelligi, vel quia veritati generaretur præiudicium, vel quia testari mandatur à Iudice.

Illud addo, etiamsi certò præsciat Sacerdos se à Iudice cogendum, vt ferat testimonium ex aliunde notis contra reum, non propterea debere se excusare ab audienda eius Confessione; quamuis iusta sit causa, quando commodè id fieri potest, ista vice subterfugendi eius auditionem.

Obiiciet quis contra doctrinam huius Capituli, Confessionem reddi odiosam, si Confessarius reuelet, vtendo alia scientia de peccato eodem quod in Confessione sibi explicatum est. Respondeo, non reddi, si fiat cum significatione quòd aliunde Sacerdos id sciuerit, & quòd cogatur reuelare. Vtilius enim scandalum nasci finitur quàm ve-

74 IO. MALDERI TRACTATVS
ritas relinquatur, vt habet regula Iuris, Qui
scandalizauerit.

*De Secreto
generatim
extra Con-
fessionem.*

Obferuet autem Lector, non excufari Sa-
cerdotem, fi in particulari fciat proditio-
nem contra Regem imminere ex Confef-
fione, & eam reuelet, eò quòd in genere ex-
tra Confessionem fciuerit aliquid turbarum
excitandum in Regno. Qui casus fuit Mar-
tyris Henrici Garneti, vt videre licet in Apo-
logia Eudæmon-Ioannis cap. 12. Sufține-
bant enim eius aduerfarij, debuiffe ab eo
prodi eiusmodi conſpirationem fic in gene-
re extra Confessionem auditam, non ob-
ſtante Confessionis arcano.

CAPVT XI.

Quæ fit pœna frangentis Sigillum.

*Reuelato-
rum pœna
poſitiua,
antiqua &
noua.*

PRÆTERQVAM quòd à Deo puniatur
fractor Sigilli, vt peccati maximi, &
maioris quàm fit apoſtaſia plurium à Reli-
gione, ſecundùm Gerſonem reus, & ſacri-
legus; & à mortali non excuſetur, etiamſi
veniale tantùm peccatum reuelauerit; Iure
poſitiuo etiam grauiffimas pœnas incurrit
quas Eccleſia appoſuit, conſiderans non ſa-
tis eſſe ad impiorum audaciam refrænandam,
tardas inferni pœnas, ſecundùm illud
Eccleſiaſtæ cap. 8. *Quia non profertur citò*

contra

contra malos sententia, absque timore vlllo filij hominum perpetrant mala. Itaque Gregorius c. Sacerdos, de Pœnitentia d. 6. ponit ei pœnam depositionis, & ignominiosam peregrinationem tota vita sua faciendam. Capitulum, Omnis vtriusque, de Pœnitentiis & remissionibus, non solum talem reuelatorem dicit deponendum esse ab officio Sacerdotali, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum: quæ pœna, utpote generalis Concilij, hodie obtinet, & non illa prior Gregorij, ut dicit ibidem Glossa, & est res euidens; licet quidam contradixerint: sunt enim pœnæ asystatæ, peregrinari, & inclusum esse perpetuò in Monasterio. Similiter euidens est, pœnam depositionis ab officio Sacerdotali non quadrare in alios violatores huius Secreti, sed in solum Sacerdotem. Neque tamen à pœna depositionis aut inclusionis prorsus sunt immunes, sed saltem arbitrio Iudicis pro qualitate delicti similibus pœnis afficiuntur, adeò ut Diaconus reus fracti huius Sigilli, etiam à suo officio esset deponendus, imò quilibet Clericus omni officio & beneficio suo priuandus, & Monasterio includendus.

Circa hoc argumentum obseruo, etiam perpetua infamia notari eum qui Confessionem

Sacerdotis.

Diaconi.

tionem reuelasset, adeò vt nulla fides eius testimonio sit adhibenda. Salsedo supra citatus. Sublata enim peregrinatione per inclusionem, infamiae ignominia, cuius meminit Gregorius, non est sublata. Diaz dicto c. 109. vult posse detrudi in strictum carcerem, quando de fuga timeretur. Henriques (cui alij quidam apud Panormitanum in c. Omnis, fauent) coniungit poenam cap. Sacerdos, cum poena cap. Omnis; quasi nunc facta ad tempus septem vel decem annorum peregrinatione, sit deponendus, & ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum Monasterium retrudendus. Addit, interdum degradatum traditum fuisse brachio saeculari ad supplicium mortis,

Laici.

Quæres, qua poena laicus violans hoc Sigillum, prout violare ipsum posse Cap. XIII. dicemus, erit puniendus. Respondeo, excepta depositione idem de ipso dicendum quod de Clerico non Sacerdote. Ioannes Maior dicit esse puniendum arbitrio seueri Iudicis. Angelus post Panormitanum etiam detractionem in arctum Monasterium ei prescribit. Hoc certò asseruero cum Soto, quidquid sit de poenis Ecclesiasticis, tantam hic subesse obligationem Secreti, etiam in laico, vt potius mors sit oppetenda, quàm sacrum istud Secretum villo casu prodendum.

Potest

Potest & istud quæri, an sit eadem ratio quoad pœnas istas Sacerdotis qui Confessionem prodidit, & eius qui peccatum confessi reuelauit. v. g. qui dicit, Petrus mihi est confessus peccatum reseruatum, reuelat Confessionem; non tamen peccatum, sicut si diceret, Petrus mihi confessus est furtum. Diaz putat priori modo prodentem Confessionem esse quidem puniendum, sed non pœna ordinaria, eò quòd Canones loquantur non de reuelante Confessionem, sed de reuelante peccatum in Confessione auditum. idem approbat ibi Salsedo. Est hæc sententia probabilis, quamuis existimem contrariam esse etiam probabilem: & ad rationem dubitandi respondeo, etiam hunc reuelare peccatum in Confessione auditum sufficienter, vt absolutè sit fractor Sigilli, & reuelator peccati: quamuis enim sine fractione Sigilli liceat dicere, Hic mihi peccata sua est confessus; non tamen licet dicere, Hic mihi peccata mortalia est confessus: & non credo quòd talem reuelatorem quis excusaret à pœna ordinaria: reseruata autem peccata, sunt mortalia.

Illud certius existimo, Sacerdotem non esse puniendum pœna ordinaria, sed arbitraria tantum, quando reuelauit Confessionem, & sustinet id se fecisse consentiente

An puniatur pœna ordinaria, qui vel cõsensu pœnitētis, vel aliunde se scire, allegauerit.

pœni-

pœnitente, qui tamen negat se eiusmodi consensum dedisse: quamuis enim Sacerdoti incumbat dati consensus probatio, vt dicit D. Thomas; si tamen in probatione deficiat, arbitrariè solùm punietur, nisi aliud occurrat, quod contra reuelatorem præsumptionem augeat. Sicuti etiam potest contingere, vt pro Sacerdote licentiam pœnitentis allegante sint indicia talia, vt non sit punibilis, sed ipsi credatur, vt benè Diaz. Neque est eadem ratio, si dicat Sacerdos, quod reuelauit, aliunde id se audiuisse quàm ex Confessione, & reus eum accuset de reuelatione Confessionis: tunc enim Sacerdoti absolutè iniungenda esset probatio. Non excusabitur Sacerdos à pœnis Canonis, Omnis vtriusque, etiam si peccatum quod reuelauit, tantùm fuerit veniale; quia Canon subiicit generatim his pœnis eum, qui peccatum in Cōfessione detectum reuelauerit.

Quæres, quomodo infractori Sigilli iniungatur pœnitentia publica, cùm Sacerdos non agat pœnitentiam publicam vel solemnem, vt dicitur dist. 82. c. Presbyter. Respondeo: Sacerdos depositus sine spe restitutionis agit publicam pœnitentiam: c. Si quis Episcopus, d. 81. talis autem est reuelator Confessionis, vt meritò dicat Glossa in c. Sacerdos suprâ citatum, ad verbum *peregrinando,*

Sacerdos depositus publicam agit pœnitentiam.

nando, hæc verba: *Vt ita agat publicam pœnitentiam, & etiam solemnem, si non habetur spes de eius restitutione.* Adde, si quis non Sacerdos publicæ pœnitentiæ & solemni fuerit addictus pro reuelata Confessione, non posse talem vñquam ordinari Sacerdotem. cap. Illud quoque, d. 50.

Ceterùm, quæ de pœnis fractoris Sigilli dicta sunt ex cap. Omnis, intelligenda sunt in foro externo; & vt ex textu constat, non sunt pœnæ latæ, sed ferendæ sententiæ, ideoque passim dicunt Doctores, ante latam à Iudice sententiam non incurri. In foro autem Sacramenti Pœnitentiæ rectè dicit Antoninus Confessionalis sui cap. 27. huius peccati pœnas esse arbitrarias, sicut aliorum peccatorum.

*Reuelatori
quæ pœni-
tentia in-
iungenda à
Confessa-
rio.*

Concludo antiquis verbis: *Caueant Silentiarij ne dent linguarium.*

CAPVT XII.

*Quibus modis contingat indirectè
Sigillum frangi.*

QUANDOQVĪDEM dum aliquid prohibetur, etiam prohibeatur omne illud per quod peruenitur ad illud; & quod prohibitum est vna via, prohibeatur etiam alia; & nihilominus Canon, Omnis vtriusque, strictè

strictè prohibeat, latissimè eam extendendo, reuelationem Secreti Confessionis (dicit enim, *Caveat autem omnino, ne verbo aut signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodatur peccatorem:*) videndum est, quinam possint esse modi hîc prohibiti, indirectæ præsertim reuelationis. Præsuppono, quod antè tetigimus, parum referre, an dicat Confessor, se in Petri Confessione audiuisse quòd Petrus commiserit istud homicidium; an verò dicat, Petrum istud homicidium, aut absolutè homicidium, aut etiam in genere mortale peccatum admisisse; si hoc ex sola Cõfessione nouerit. De veniali verò quamuis dicere non liceat, Audiui eum confitentem istud veniale; licet tamen sine reuelatione Sigilli dicere, quòd venialia aliqua admisserit, nullum in particulari exprimendo, quia aliunde quàm ex Confessione nouit, hunc hominem, uti & quemuis alium, non viuere sine peccato veniali. Non excusauerim tamen à fractione Sigilli eum qui dixerit, Petrum grauia venialia sibi esse confessum. Rectè dicit D. Thomas, directè Sigillum se extendere ad ea quæ cadunt sub Confessionem Sacramentalem, indirectè verò ad omnia alia per quæ possit peccator vel peccatum deprehendi; ideoque etiam illa summo studio esse celanda. Talia autem
 quæ

*Qui dicit
 penitentem
 grauia venialia sibi
 confessum,
 violat Sigillum.*

DE SIGILLO CONFSSIONIS.

81

quæ sint, non est tam Theologicæ tractationis, quàm sagacioris prudentiæ, quali solent uti iudices contra reos. Illud addiderim, non tantùm eum peccare qui facit ut peccatum celandum ratione huius sacri Secreti innotescat, sed etiam illum qui facit ut in suspicionem veniat peccatum aut peccator. Vbi notandum, quod obseruat Pinellus, ut Sigillum violetur duo debere concurrere: vnum est, ut peccatum vel peccata in Confessione detecta reuelentur; alterum, ut persona quæ confessæ est, aliquo modo prodatur vel reueletur: neque enim reserat Sigillum qui peccata recitat tacito peccatore; aut qui peccata celat, dicens, Petrus mihi sua peccata est confessus: sed, ut bene obseruant Maior & Durandus, quando dicitur Sacerdos debere celare peccata confitentis, intelligendum id est coniunctim, & non diuisim; ut non possit dicere actu vel virtute, Talis est mihi confessus talia peccata. Hoc ipsum etiam colligi potest ex cap. Sacerdos, de Pœnitentia, dist. 6. Sacerdos ante omnia caueat, ne de his qui ei confitentur peccata alicui recitet. Indicat enim modo illo loquendi Gregorius, se prohibere coniunctim reuelari peccata & peccatorem. Idem etiam colligitur ex dicto c. Omnis, vbi cauetur ne Confessarius vllō

F modo

*Violatio
Sigilli consistit in reuelatione peccati & peccatoris coniunctim facta.*

*Confessarius
potest con-
sultare do-
ctiorem.*

modo prodat peccatorem; quod non fit, nisi aliquousque conitinctim prodatur peccatum & peccator. Ideò rectè obseruant alij, quod eòdem redit, peccatum sine relatione ad personam peccatoris, non esse materiam Sigilli. Ita Gabriel in 4. d. 21. Sotus de Tegendo secreto, membro 3. q. 4. Sic licitè consulunt Superiorem vel doctiorem Confessarij, exprimendo peccatum, & filendo personam, cap. Officij, de Pœnitentiis & remissionibus. Sic (vt Turrecremata notat) integri libri conscripti sunt de peccatis in Confessione auditis, sine violatione sacri Secreti.

Obseruandum autem hîc est, eum qui indirectè reuelat Confessionem, non esse immunem à pœna Canonis, cùm ipse Canon disertè etiam indirectam reuelationem inuoluat per illa verba, *Verbo, signo, aut alio quouis modo*. Ita obseruauit Petrus Ledesma cap. 22. de Pœnitentia. Qui rectè addit, quando non proditur peccator, sed reuelatur aliquod Secretum, dictum in Confessione, obligationis naturalis, quod tamen habeat aliquem respectum ad Sacramentale Secretum, aut participet aliquid de eo, non incurri mox pœnas Canonis, licet sit peccatum mortale talis reuelatio, & indirectum quoddam sacrilegium.

Ex

Ex qua generali doctrina multa particula-
ria colligi possunt. Primò, contra sacrum
istud Secretum peccare eum Sacerdotem
qui dixerit, Audiui huius Confessionem, sed
eum non absolui. Quamuis enim aliæ pos-
sint esse causæ non datæ aut dilatæ absolu-
tionis; suspicantur tamen facilè homines
eo audito, quòd ob aliquod graue mortale
referuatum, aut propter defectum propofiti
abstinendi à graui peccato fit negata abso-
lutio. Est tamen casus vbi liceat, secundùm
Sotum in 4. & alios quosdam Doctores,
Confessario testari non datam esse absolu-
tionem, etiamsi confessus quis fuerit; nimi-
rum quando aded est notorium, aliquem in-
famem sine pœnitentia esse confessum, vt
scandalum magnum foret talem absoluis-
se, quem constat in peccato continuo per-
seuerasse. Verùm istis Doctoribus non as-
sentior: quia neque propter scandalum vi-
tandum est reuelanda Confessio: neque suf-
ficit quòd ipse confessus peccator iactet se
esse impœnitentem, vt Confessor dicere
possit, se ipsum quidem audiuisse confiten-
tem, sed non absoluisse, vt benè obseruat
Beia 3. p. casu 14. & patet ex dictis suprâ
Cap. x.

Secundò colligo, peccare eos Confessa-
rios, qui in ipsa auditione Confessionis, ali-

*Confessarius
non dicat
umquam
se audiuis-
se, sed non
absoluisse.*

*Non suspi-
cet.*

quo signo produnt graua esse peccata quæ pœnitens dicit, vtpote extraordinariis suspiriis, aut gestu obiurgantis non satis secreto.

*Nō puniat
publicè aut
secretè.*

Tertiò, peccare Priorem in Monasterio, si ad punitionem procedat peccati, in Confessione auditi, coram aliis. Addo etiam peccaturum, etiam si non coram aliis, sed secretò puniat, cùm etiam hac ratione grauet pœnitentem, & odiosam reddat Confessionem, & eum propter Confessionem affligat, cui ne loqui quidem de peccatis in ipsa intellectis poterat. An verò id possit de licentia pœnitentis, colligi poterit ex dicendis Cap. XXI. Existimo non expedire. Imò facile assentior Bañesio, qui improbat ex Confessione tertij procedi ad punitionem, si tertius iste id animaduertens, agrè laturus sit.

*Confessarius
eundem se
exhibeat
ante & post
Confessionem.*

Quartò, ne quidem licere Confessario post Confessionem tristiorem aut auersio-rem vultum ostendere ipsi pœnitenti confesso, aut circa illum exhibere aliqua signa contemptus, vnde vel ipsi peccati exprobratio, vel aliis notitia aut suspicio eius oriri possit. Debet ergo æqualiter initio dum audire incipit & in progressu exterius esse compositus, & post Confessionem eundem se exhibere. Benè huius rei monuit Petrus Damianus Serm. 2. de S. Andrea, dum ait:

Videat

Videat autem ne umquam de his quæ sub signaculo Confessionis accepit, aliquam faciat mentionem, vel alicui loquēti consentiat. Caveat etiam ne vilescat in conspectu eius, qui ei suam vilitatem ostendit, nec sit suspectus, nec de præterita futuram vitam æstimet peccatoris.

Quintò, non licere iniungere pœnitentiam, quæ aliquo modo prodat peccatorem, aut eius Confessionem in mortalibus in genere, aut particulari, & in venialibus in particulari: licet tamen ei, qui habet aliquid aduersus fratrem suum, iniungere vt vadat prius reconciliari fratri suo, antequam mensam Domini accedat: quia per hoc non proditur de nouo peccatum alicui cui ignotum erat, & potiùs ad restitutionem id reduci debet quàm ad satisfactionem Sacramentalem. Restitutio autem, vbi ablatio fuit manifesta, benè potest iniungi manifesta: secùs quando fuit occulta, inuito & inscio læso. Ex quo vlteriùs colligo, benè dixisse Gersonem Alphab. 25. lit. G. pro publico peccato posse iniungi publicam pœnitentiam à Confessario, non autem pro occulto. Rabanus de Institutione Cleri, lib. 2. *Quorum peccata occulta sunt, & spontanea Confessione soli tantummodò Presbytero siue Episcopo fuerint ab iis reuelata, eorum occulta*

debet esse pœnitentia secundum iudicium Presbyteri siue Episcopi cui confessi sunt.

Sextò, non benè fecisse quemdam Confessarium, cui cum cuidam ob grauia, sed ignota peccata, iniunxisset in Confessione longo tempore publicè audire solemne Sacrum Collegiale flexis genibus, indicauit eis qui hoc obseruarunt, à se id profectum esse. Est quidem verum, Cõcilium Tridentinum sess. 24. cap. 8. statuisse in hunc modum: *Quando ab aliquo publicè & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosq; fuisse non sit dubitandum, huic condignam, pro modo culpe, pœnitentiam publicè iniungi oportet; vt quos exemplo suo ad malos mores prouocauit, sua emendationis testimonio ad rectam reuocet vitam.* Sed istud secundum quosdam non debet accipi practicandum in foro merè interno, nisi pœnitente volente subire publicam pœnitentiam. Ita Lopes c. 37. & Siluius in Supplementum D. Thomæ. Beia 3. p. c. 14. Nauarrus in c. Sacerdos. Verisimilius est, Concilium loqui in casu etiam Confessionis secretæ Sacramentalis: pro publico enim crimine cum scandalo admissio debet Confessarius publicam pœnitentiam iniungere, quando ea necessaria est ad reparationem scandali; ita vt nisi publicè fiat, scandalum

*Pœnitentia
publica
quando iniungenda.*

Quando ab aliquo publicè & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosq; fuisse non sit dubitandum, huic condignam, pro modo culpe, pœnitentiam publicè iniungi oportet; vt quos exemplo suo ad malos mores prouocauit, sua emendationis testimonio ad rectam reuocet vitam. Sed istud secundum quosdam non debet accipi practicandum in foro merè interno, nisi pœnitente volente subire publicam pœnitentiam. Ita Lopes c. 37. & Siluius in Supplementum D. Thomæ. Beia 3. p. c. 14. Nauarrus in c. Sacerdos. Verisimilius est, Concilium loqui in casu etiam Confessionis secretæ Sacramentalis: pro publico enim crimine cum scandalo admissio debet Confessarius publicam pœnitentiam iniungere, quando ea necessaria est ad reparationem scandali; ita vt nisi publicè fiat, scandalum

dalum non reparatur: quando autem non
 est necessarium ad reparandum scandalum,
 vt publicè fiat, sed vtile tantùm, & pœni-
 tens est inuitus, potest iniungi secreta pœni-
 tentia. Ratio est, quia in priori casu habet,
 vt suprâ dixi, rationem quodammodò ne-
 cessariæ restitutionis, in quam non solùm
 debet consentire pœnitens, sed talis naturæ
 est, vt per ipsum debeat fieri. Itaque non
 habet querelam de reuelata indirectè sua
 Confessione. Consentunt Coninck & Sua-
 rez. Pro peccatis ergo publicis aliquando
 quidem, sed non semper, est iniungenda
 pœnitentia publica; pro non publicis au-
 tem, numquam. Quamuis verum sit, expe-
 dire vt in publicis iniungendis interueniat
 Episcoporum auctoritas, propter hominum
 tepiditatem & tergiuersionem. Illud et-
 iam monuerim, pro publicis pro quibus non
 iniungitur publica pœnitentia, & pro graui-
 bus non publicis, esse iniungendas graues
 pœnitentias, sed occultas. Hinc colligimus,
 ampliorem longè esse vsum secretæ Con-
 fessionis quàm publicæ. Neque verum est,
 ex publica secretam esse ortam, vt Beatus
 Rhenanus in librum Tertulliani de Pœni-
 tentia, & Erasmus in D. Hieronymum con-
 tenderunt; sed vt disertè Concilium Tri-
 dentinum sess. 14. cap. 5. dicit, secreta ab ini-

rio nascentis Ecclesiæ ex Christi instituto
 yfitata fuit. In ea auditis omnibus peccatis
 iniungi solet pœnitenti, quænam pro disci-
 plina seruanda publicè recitanda essent. Hinc
 illud Origenis Homil. 2. in Psal. 37. *Si in-
 tellexerit & prouideris talem esse languorem
 tuum, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi
 debeat & curari, ex quo fortassis & ceteri edi-
 ficari poterunt, & tu ipse faciliè sanari, mul-
 ta hoc deliberatione & satis perito Medici il-
 lius consilio procurandum est.* Huc pertinet
 etiam quod Ambrosius indicat lib. 2. de
 Pœnitentia cap. 7. à Sacerdotibus poni re-
 suscitandum per pœnitentiam, in certo or-
 dine pœnitentium, per secreta Confessio-
 nis statu eius priùs explorato.

Septimò, valdè imprudenter facere Con-
 fessarios, qui dicunt se tali die tale pecca-
 tum in Confessione audiuisse, quando inde
 audientes possunt venire in suspiciònè per-
 sonæ, utpote quando sciunt paucos illo die
 esse ipsi confessos, & ex illis vnum tantum
 potuisse illud peccatum admittere. Imò et-
 iam si omnes admittere potuerint, etiam hoc
 cauendum ne sciatur aliquem in confuso ex
 illis admisisse; nisi numerus tam magnus
 sit, ut faciliè quiuis alius rogatus num putet
 etiam tale peccatù in tali multitudine com-
 mitti, dicturus sit ita se putare. Quamuis
 de

de insigni peccato, quod non ita facile ad-
mitti solet, per istum modum ex Confes-
sione aliquam communitatem, de qua ni-
hil tale putabatur, infamare, graue pecca-
tum sit: utpote si dicat se ex Confessione
scire quòd tali loco commissus sit incestus
patris cum propria filia.

Octauò, qui complici aliquam facit com-
minationem, aut de eo aliquid prodit, reue-
lat Confessionem. Idem dixerò si curet
complicem puniri ex sola scientia Confes-
sionis Sacramentalis: puta si filia passa sit
stuprum, & stuprator Iudici denuntietur à
Confessario. Quid verò contra complicem
feri possit contentiente pœnitente, ex infra
dicendis Cap. xvii. patebit.

Nonò: cùm paucos, puta duos aut tres,
solùm audieris, non licere tibi dicere, vnum
ex illis designando, hunc solum habuisse
venialia: suspicio enim oritur inde quòd alij
còfessi sint mortalia. Vide Paludanum d. 21.
q. 3. a. 2. conc. 3. Petrum Soto lect. 11. de
Confessione. Vasquez q. 93. a. 4. dub. 3. qui
citatur Maiorem, Dominicum Sotum, Na-
uarrum, & Ledesnam. Idem monuit Lo-
pes c. 37. Adrianus in 4. Imò expedit pla-
nè, ut à tali laude omnino abstineat Con-
fessarius, ne dum vnum extollit, alios indi-
rectè grauet, de quibus similia non dicit: sed

*Confessor
caueat, ne
tacitè de
vno neget
quod de al-
tero asserit.*

F 5 taceat

taceat ea homo etiam hîc, quæ tantum ve
 Deus nouit. Consuluit benè Gerson Al-
 phab. 41. lit. H. his verbis: De personis con-
 fessis expedit magis tacere quàm aliquid di-
 cere, vel laudando vel vituperando, in ge-
 nerali vel speciali. & Alphab. 18. lit. I. de
 laudantibus pœnitentes suos dicit, quòd
 dent occasionem malè suspicandi de aliis
 quos non laudant, & mendaciter confiten-
 di. Allegant Doctores pro hac re Gregorij
 dictum Homil. 18. in Euangelia; agens enim
 de calumnia Iudæorum, *Nõne benè dici-
 mus quia Samaritanus es tu, & demonium ha-
 bes?* ita dicit: *Duo quippe ei illata fuerunt;
 vnum negauit, alterũ tacendo concessit.* quod
 refertur de præsumptionibus cap. Nõne.
*Quod enim de vno negatur, de altero conce-
 ditur.* 25. dist. c. Qualis. Est paradigma huc
 pertinēs apud Ludouicum de Beia, respon-
 sionum p. 3. casu 15. vbi duarum sororum
 Confessarius iuniorem laudans quòd virgo
 sit & sine crimine, efficit, vt seniore relicta,
 eius matrimonium adolescens quidam ex-
 petat. Meritò Confessarium istum damnat
 vt reuelatorem Confessionis senioris sor-
 ris. Ne tamen quis putet, hinc consequens
 esse, vt numquam liceat Confessario, præ-
 fertim Parocho, qui omnes suos audit Pa-
 rochianos, vnum ex illis ex Confessione
 lau-

laudare; monet idem Beia, etiam ex Confessione posse quempiam laudari præ alio, quando res de qua agitur non est talis, vt putetur aliunde quàm ex Cõfessione non posse sciri, & non agitur de personis ita coniunctis, vt quod de vna affirmatur, de altera negari intelligatur. Quare violat Secretum Confessionis, si dicat, in sua Parochia solam Ioannam esse virginem aut castam.

Decimò, non benè facere Confessarium, si ex Confessione alicuius & non aliunde aduerterit ipsum esse scrupulosum (etiam si de scrupuli vitio non sit confessus) aliis id ipsum reuelando, quòd talis sit homo scrupulosus, sibi que sit suis scrupulis in Confessione molestus.

*Celandam
qua audiē-
do Confes-
sionem no-
sciuntur, et-
iam si non
sciuntur ex
relatu con-
fitentis.*

Vndecimò, idem dicendum esse de Confessario, qui aliquam circumstantiam peccati occulti in Confessione auditi prodiderit, vnde in suspicionem veniat pœnitens: puta si dicat eum fuisse tali loco præsentem, vbi peccatum, de quo Iudex inquit, admissum fuit, & quod occultè ab ipso pœnitente est admissum.

Duodecimò, non rectè Confessarios, qui dant frequenter testimonia cõfessis, in quorundam testimonio addere quòd eos absoluerint: in aliorum solùm, quòd sibi sint confessi. Hinc enim fit, vt qui de absolutione sibi

*Testimonia
quomodo
oporteat
Confessarios
dare con-
fessis.*

sibi impensa testimonium non habent, præsumantur vel malè fuisse dispositi, vel casum referuatam habuisse. Præstaret ergo solum dare testimonium Confessionis factæ, nulla facta mentione absolutionis; & tale dare etiam indispositis ad absolutionem, ne prodatur eorum indispositio. Ita sentit Coninck disp. 9. dub. 1. n. 14. à quo immeritò recedit Bonacina disp. 5. q. 6. sect. 5. puncto 4. num. 7. Si enim ponamus casum, quem ponit Coninck, Patrem familias vel le vt famuli adferant schedulam, qua sibi constet ipsos esse confessos; si cui hæc schedula negetur, statim oritur suspicio, quòd non fuerit dispositus ad absolutionem, sicuti alij qui simul eidem confessi sunt, & hunc confitentem viderunt. Credo tamen posse dari casum vbi posset negari talis schedula confesso malè disposito, quando nimirum cessaret etiam indirecta reuelatio Secreti, vt si nemo sciret præter Sacerdotem, hunc esse confessum, & ipse confessus vellet ludificare hoc testimonio Parochum in Paschate. In quo grauiter peccant Sacerdotes, si schedulas hoc casu dent, quando aduertunt ipsam Confessionem fieri in ludibrium, ita vt non sit nisi ficta eo modo quo Cap. VIII. diximus fictam nõ obligare ad Sigillum. Quales Confessiones fieri constat, vbi qui Ca-

tholici

tholici non sunt, fictè confitentur timore alicuius humanæ pœnæ. Quando ergo nouit Confessarius confitentem esse hæreticum, aut ex Confessione id aduertit; cauere debet, ne det ei testimonium vllum factæ Confessionis quo Superiores fallat, ne comunicet eius sacrilegio.

Expediret etiam talibus non credi, etiam si optimum etiam absolutionis habeant testimonium; nisi testimonium insertum sit, Confessarium personam ex nomine probe nouisse: quia solent ea fraude uti, ut testimonio Confessionis inseratur nomen non illius qui confessus est, sed alterius hæretici, qui uult eo testimonio apud Superiores abuti.

Decimotertiò, non licere Confessario dicere, quòd in loco, ubi Confessiones audiuit, grauia fiant peccata: nam etiam hoc redundat in grauamen istius communitatis, & posset Confessionē reddere odiosam, præsertim in communitate non adeò magna.

Quæres, an violet Confessionis Sigillum, qui dicit, in Ordine tali Religiosorum hoc aut illud peccatum fuisse admissum, quod ex sola Confessione nouerit. Respondeo, talem grauiter peccare, quamuis non possit puniri pœna ordinaria Canonis, Omnis utriusque. Eò autem magis peccat, quòd magis in particulari dicit de hoc Ordine. Nugnus tamen

tamen excusat, & putat idem esse ac si Religiosus dicat ex Confessione, inter saculares Sacerdotes fieri ista peccata. Verùm in his prudens iudicabit: quamuis enim non detegatur in particulari pœnitens, fieri tamen potest vt in fama sua lædatur aliqua communitas, vel vniuersitas, vel Ordo aliquis: quod per se est illicitum, & maius peccatum quando fit ex Confessione; præsertim cùm etiam ex consensu pœnitentis non liceat Confessionem reuelare quando id cederet in infamiam alterius, vt diximus
Cap. iv.

Decimoquartò, Sacerdotem, qui ex sola Confessione nouit hunc esse indignum qui communicet, non posse ei etiam occultè petenti negare sacram Eucharistiam. Eadem est ratio, si ex Confessione nouerit esse excommunicatum: neque enim potest eum propterea vitare, ne occultè quidem; quamuis occultè debere vitare indicauerit Maior in 4. d. 21. q. 2. fortè deceptus per cap. vltimum 6. q. 2. quo improbatur quòd Episcopus quidam vitauerit publicè, quem ex secreta sibi soli facta Confessione nouerat excommunicatum: vbi à contrario sensu colligitur, quòd clàm vitare talem poterat. Verùm istud cap. loquitur in casu secretæ Confessionis non Sacramentalis; alioqui Episcopus

pus non potuisset dicere, reum factum sibi fuisse tale quid, ut ex textu eum dixisse constat. Itaque si secretò noueris extra Confessionem Sacramentalem, hunc excommunicatum, vita eum secretò, nõ publicè. c. Cùm non ab homine, de Sent. excomm. Si autem id noueris ex Sacramentali Confessione, ne secretò quidem vitare poteris, ne ei Confessionem videaris exprobrare. Sanchez l. 3. de Matrim. disp. 16. Angelus, Confessio, ultimo. Sotus de Secreto, membro 3. q. 4. Adrianus tamen & Scotus tenet cum Maiore, fortè moti dicto c. Cùm non ab homine, sed immeritò, quia cap. loquitur casu quo solus noueris extra Confessionem.

Decimoquintò, etiam de manifestis & publicis cõcubinariis & fornicariis sibi confessis, sine eorum licentia non posse Confessarium dicere: Talis dolet, quòd vos scandalizauerit.

Decimosexto, quando publica meretrix ^{publica meretrix quomodo debeat penitere.} est confessa mendicanti Religioso, non posse Pastorem petere testimonium à tali Confessario quòd verè de peccato suo publico poenituerit, confessa & absoluta sit, hoc enim sine licentia peccatricis Confessarius non dicet, & etiam si secretò dixerit ipsa consentiente, publicè administraturo Parocho non sufficiet: sed antequam sacram Eucharistiam

ristiam ei publicè administret, aut ei sepul-
turam Ecclesiasticam cōcedat, oportet con-
stare publicè quòd pœnituerit quæ publicè
peccauit. Confessarius enim, ne quidem
quòd fornicationes suas sibi confessa sit, di-
rectè aut indirectè, puta dicendo quòd eam
à peccatis suis publicis absoluerit, indicare
potest; sed eo casu sufficit in genere Paro-
chum scire quòd sit confessa, modò publicè
etiam sciatur conuersa; puta per reuelatio-
nem publicam Confessarij de licentia pec-
catricis, aut quòd coram pluribus proteste-
tur ipsa, se de peccato isto dolere. Sine pu-
blica autem ista notitia aut detestatione,
non sufficit Sacramentalis Confessio aut ab-
solutio etiam Parocho facta, quia talis satis-
factio debetur Ecclesiæ, & alioqui scanda-
lum esset margaritam spargere ante porcos.
Cōsuli potest Caietanus in Sūmula v. Con-
fessor. Reginaldus lib. 3. c. 4. Nauarrus in
cap. 1. de Pœnitentia, dist. 6. in princip. n. 90.
& sequentibus.

At quæres, an saltem priuatim & secreto
tali meretrici iam conuersæ & confessæ, non
possit cōmunio dari antequam publicè con-
stet eam esse conuersam. Respondeo, pos-
se: ita tenet Reginaldus post Paludanum &
Nauarrum. Itaque talis ante publicam pœ-
nitentiã poterit communicare publicè: se-
cretò

cretò autem communicare poterit non solum antequàm publicam agat pœnitentiã, sed etiam antequàm publicè de eius conuersione constet: & quia communio quæ fit tempore infirmitatis, publicè delato Venerabili Sacramento, ne sine viatico decedat infirmus, fit publicè; talis communio postulat, vt præcedentis conuersionis sit aliqua notitia publica: aded vt Parocho non debeat sufficere quòd sciat publicum peccatorem esse Sacramentaliter confessum; quando viaticum publicè est administraturus, sed oporteat, vt sciat publicè iam constare, quòd sit conuersus.

CAPVT XIII.

Quinam præter Sacerdotem participatiuè teneantur Sigillo.

NON quæro, si plures Sacerdotes eundem pœnitentem simul audiant, eique hoc Pœnitentiæ Sacramentum administrent (quod fieri posse quidam Doctores tradunt, Petrus Soto lectione II. Institut. Sacerd. Paludanus in 4. d. 21. Facit c. Quem pœnitet, de Pœnitentia d. 1. Siluester, Confessio. 1. q. 20. quamuis Vasques q. 91. a. 4. dub. 1. putet non expedire) an omnes illi Sigillo teneantur; certum enim habeo, teneri:

G

sed

fed sunt multæ personæ aliæ, de quibus est quæstio, an hoc Secreto teneantur; quamuis ratione Sacramenti peculiariter teneatur Sacerdos, qui vice Christi peccatorum à se regendorum, quia eorum remittendorum potestatem habet, Confessionem audit, siue formatam siue informem, aliquo modo Sacramentalem.

*An Sigillo
teneatur
interpres.*

Et in primis quæritur, an quando ignotum Confessario est pœnitentis idioma, teneatur interpres, per quem peccata sua aperit, eadem celare. Respondeo, omnino teneri: quamuis enim nemo teneatur per interpretem confiteri, sicuti nec venialia teneretur confiteri; si tamen eo modo confiteri volens inducat aliquem qui interpretis vice fungatur, is indubiè celare tenebitur peccata secretò sibi commissa, sicuti etiam venialia Sacerdos. Sed quæres, An eo gradu quo Sacerdos? Respondeo, teneri Iure naturali arctissimè celare amici commissum, & insuper obligatione etiam Religionis, quia redundaret in irreuerentiam Sacramenti ista reuelatio: & quamuis non sciat vt Deus, scit tamen vt Dei sequester; Secretum enim suum deponit apud interpretem pœnitens, in Deum id transferendi causa, & in ordine ad Claves. Est itaque hîc plusquàm naturalis obligatio. Fateor tamen, non esse superna-

pernaturalem in illo gradu, quo ex traditione certa & tamquam de fide certum credimus obligari Sacerdotem, quamuis putem nullo etiam casu licere reuelare interpreti hoc Secretum. His conformia satis traduntur à Suare & Soto aliisque communiter, quamuis aliter Caietanus loquatur. Rectè Albertus Magnus interpretem considerat ut aurem Sacerdotis, ideoque participem esse Sigilli. De Superiore, cui casus aliquis ^{superior} est referuatus, certum est quòd omnino Si- ^{casum res} gillo teneatur, quando ab eo licentia absol- ^{seruans.} uendi petitur: fit enim ei detectio ut habenti Claves, & ut in foro interno deleget potestatem absoluendi. Itaque aditur etiam ipse ut Iudex in hoc foro, & æqualiter tenetur cum ipso Confessario; adeoque perfectius quàm interpret. Tenet nobiscum Suarez: aliqui tamen dicunt tunc Superiorem solùm teneri Secreto naturali, quando ante Confessionem ab ipso pœnitente, vel Confessario futuro de licentia eius, petitur hæc delegatio.

Internuntius etiam ad hoc Arcanum ser- ^{Interuen-} uandum tenetur, eo modo quo interpret. ^{tium.} Exempli causa: Vocat aliquis Sacerdotem in extrema necessitate, & dicit nuntio quoddam graue peccatum se admisisse, & de eo pœnitere, & confiteri velle, ideoque rogare

vt statim Sacerdos accurrat : tenetur talis summo silentio illud premere apud quocumque alios, excepto Sacerdote, cui pœnitens indicatum voluit.

Laicus cui fit Confessio, quomodo Secreto teneatur.

Laicus, cui in defectu Sacerdotis fit Confessio humilitatis & pœnitentiæ virtutis exercendæ causa, ad excitandum maiorem dolorem & erubescenciam, secundum illud Prouerb. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigitur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur;* tenetur naturali obligatione silentij, sed non Sigillo Sacramentalis Confessionis, quamuis aliter sentiant Sotus & Graffius cõtra communem Theologorum: quæ etiam nunc vsu obtinuit, vt Confessio ista laico faciendâ vix sit amplius vsitata, nisi fortè, vt dicit idem Sotus, apud nautas; & olim non nisi consilij videtur fuisse, non præcepti; quamuis etiam miraculo Deus aliquando ostenderit sibi esse gratam. Sanè peccator apud Iudicem delatus à laico suo Confessario de homicidio, non euaderet impunè: à Sacerdote verò Confessario facta delatione, non potest Iudex procedere. Quod etiam obtinet quandocumq; Iudex nouit delationem habere originem ex Cõfessione Sacramentali; tunc enim tenetur statim desistere à processu iudiciali. ita Henriques l. 3. de Pœnitenti-

Iudex an procedere possit ex reuelata Cõfessione.

nitentia, c. 20. n. 2. Casus iste facile emer-
git circa complices, quando post Confes-
sionem Sacerdotes curant repeti peccatum
complicis, & deferunt ad Iudicem, de quo
Cap. xvii. Istud generatim & conformiter
dictis addidero, eum teneri celare qui me-
diatè vel immediatè à sacrilego Sacerdote
peccatum cõfessi audierit; iuuaret enim pro-
gressum noxæ alterius, & sine legitima fa-
cultate reuelaret quod celandum est. Ad-
dunt Doctores, sicut res transfertur cum
suo onere, etiamsi iniuste transferatur, ita
Secretum istud transire ad quoscumq; cum
onere arctissimi silentij.

*Cui facta
est reuela-
tio, an te-
neatur ce-
lare.*

Nugnus in Supplementum q. i. a. i. pu-
tat Iudicem posse procedere contra confes-
sum Sacramentaliter, quando per Confes-
sarium factum est publicum quòd hic ad-
miserit tale crimen, recedens à Soto, qui
id concessit quando occasione Confessionis
Sacerdos dixisset licitè, Vigila; & vigilando
deprehensus esset reus: negavit autem pos-
se fieri, quando frangendo Sigillum, eum
prodidisset, & reuelasset Confessionem. Di-
cit ergo Nugnus, posteriori isto casu con-
uenire quidem, vt non procedat Iudex ad
talis delicti punitionem: si tamen procedat,
non peccare; quia diligentia rectè est adhi-
bita à Superiore vigilante super ciuitatem

fibi commissam, & iam delictum est publicum; neque culpa Sacerdotis abstulit ius, quod ad punitionem habet Iudex. Ita quidem ille: sed meo iudicio religiosius & melius locutus est in ea materia Sotus: quamuis enim verum sit quod Nugnus dicit, quando infamia orta est ex alia iniqua reuelatione occulti criminis, reo etiam iam in foro animæ emendato; non est tamen verum, quando ea habet originē ex fractione Sacramentalis Sigilli: non quod culpa Sacerdotis sacrilegi Iudici adimat ius puniendi fontem; sed quod religio vetet cum Sacramēti damno, quod pluris fit, sarciri damnum humanæ Politix, quod minoris est faciendum.

*Casu vel
insidiosè
audiens.*

Qui casu audit (eadem ratio auscultantis insidiosè, nisi quod iste mortaliter peccet audiendo) peccata sua Sacerdoti Sacramentaliter confitentem, tenetur omni casu eadem celare. Rectè enim dicit Paludanus, non tantum esse violatorem Sigilli cui Secretum est commissum, sed etiam quicumque illud rescivit, quod natura sua tale est, vt eius reuelatio noceret: Seruus enim casu vel data opera Domini sui intelligens Secretum, & extra Curiam eius euulgans, in Dominum & Curiam peccat, & grauitè est puniendus. Caueamus ergo qui serui Dei sumus, ne Regis nostri Secretum, etiam casu intel-

intel-

intellectum in tribunali Secretæ Confessionis, eliminemus. Si quid tale eliminatum fuerit, tenetur Secreto etiam is qui talem proditorem audiuerit: initium enim spectandum; & hæc detectio Deo eiusque ministro, imò Deo in suo ministro est facta. Est itaque ab humano vsu vindicanda, soli que Deo quasi eius Sigillo clausa epistola deferenda. Eamdem dixero esse rationem, si quis intelligat mutum per nutus & signa, vel quempiam altiùs surdastro confitentem; neque enim intendit confitens publicè confiteri, sed secretò; ideoque expedit tales confiteri sine astantibus: & potentium aliter confiteri, non est per schedulam aut nutus admittenda confessio: ideò enim fuit grauitè reprehensus quidam ex Monachis à sancto Bernardo, quòd silentij seruandi causa per nutus voluerit confiteri, vt refert Gerson, & alij. Secùs dixero de eo laico, quem pœnitens voluit simul cum Sacerdote audire eius Confessionem, ad maius erubescentiæ meritum: quamuis enim teneatur talis Secreto naturali, non tamen videtur teneri Sacramentali, eò quòd virtute sit extra Sacramentum reuelatio quatenus ipsi fit. Huic simile quid reperitur apud Basilium in Brevioribus, q. 110.

*Videns
mutum per
signa confitentem.*

Laius audiens volente pœnitente Sacerdote confitentem.

Qui præter Sacerdotem cui fit Confessio,

G 4

audit

*Audiens
Confessionē
publicam.*

audit publicè confitentem Sacramentaliter, non tenetur Sigillo Sacramentali, sed Sigillo naturalis Secreti tantum, quatenus detectio vltior possit esse grauis pœnitenti.

Vbi obiter nota, meritò à Doctoribus reprehendi illos Sacerdotes, qui plures pueros simul curant sibi confiteri. Lopes c. 37. Nauarrus Enchiridij cap. 8.

Dicit Viualdus, virtute Sigilli Sacerdotem apud alios qui non interfuerunt huic Confessione publicæ, teneri celare Confessionem huius pœnitētis; quod æquum videtur, quia est Sacramentalis respectu ipsius. solet tamen talis pœnitens publicè confessus facile consentire in reuelationem, etiam quoad alios qui non interfuerunt.

*Cui ex cō-
sensu pœni-
tentis fit
reuelatio.*

Si Sacerdos de consensu pœnitentis alicui Confessionem cum expressione personæ reuelauerit; tenetur sine dubio, quod reuelatum sibi habet, arcto silentio tegere. At quæstionis non paruæ est, an teneatur Sigillo Sacramentalis Confessionis: tres enim sunt sententiæ. Vna dicit, non teneri: ita Henriques l. 6. c. 2. num. 3. Vasquius q. 93. art. 4. dub. 2. num. 10. Secunda dicit absolute, teneri: ita Siluester v. Confessio. 3. q. 1. Tertia dicit, non quidem perfectissimo gradu teneri hoc Sigillo; participare tamen obligationem huius Sigilli, eousque vt nullo omnino

omnino casu possit hoc Secretum prodere sine ulteriori licentia pœnitentis. Est hæc sententia multorum, sed variant in modo explicandi. Rationabilis est inter extrema medium tenens, & conformis D. Thomæ in modo loquendi. Itaque hæc tertia sententia videtur verior; quam declaro hoc modo: Diximus supra, Sigillum tam naturali quàm supernaturali Iure obligare Sacerdotem. Obligatio autem ista semper transit ad eum, cui ex consensu pœnitentis peccatum detegitur cum indicatione personæ, atque ea mente ut illi soli innotescere velit pœnitens, sine potestate ulterius detegendi. Est quidem verum, tunc Confessario innotescere ut homini, quando datur licentia communicandi Petro, ut supra diximus: verum sicuti quoad reliquos quibus reuelari non potest, Sacerdos iste huius rei solum censetur habere scientiam ut Deus, ita ut illis sine fractione Sigilli indicare non possit, quamuis iam ut homo sciat; ita etiam is cui de consensu pœnitentis reuelatur, quoad acceptionem quidem scientiæ se habet quasi ex parte hominis, quia Sacerdos ut homo ei reuelat, sed quoad communicationem scientiæ illius eiusdem ulterius faciendam, se debet tenere quasi ex parte Dei aut ex parte Sacerdotis qui Dei vice Secretum

excipit. Neque enim consensu pœnitentis ita degenerauit Secretum, vt simpliciter iam sciatur ab homine vt homo est, sed solum in ordine ad communicandum huic: extra quem vsum si cōsideretur, etiam apud hunc Petrum humano modo depositū, diuinum tamen Secretum est. Tenetur ergo hoc Sigillo, saltem isto modo participatiuè, is cui ex consensu confitentis consilij aut auxilij causa patefit Confessio, peccatum & persona pœnitētis; sicuti certum est teneri, quando citra consensum Sacerdos sacrilegè detexit, vt suprà diximus. Consensus enim non nisi cum dicta restrictione operatur. Quare mirum est, Pœnantium contrarium tenere. Neque hīc considerandum in quo Sigillum extendatur, quod Pœnantius vrget, quando dicit non posse pœnitentem prorogare hucusque Sigillum; sed in quo non relaxetur.

Qui ex confesso non confitente audiuit.

Quæres, an sit eadem obligatio Sigilli in Petro, si immediatè ipse pœnitens sibi aperuerit peccatum, quod in Confessione Sacerdoti reuelauit. Putat eandem esse rationem Vasques: sed contrarium est verius, quia, vt infrà dicemus, pœnitens Sigillo non tenetur, & ex pacto non potest oriri obligatio silendi nisi naturalis. Tenebitur ergo, si res postulet, & pœnitens velit, talis tegere
Secre-

Secretum ex fidelitate aut iustitia, non tamen arcta illa obligatione Religionis, quæ est in Sigillo Sacramentalis Confessionis.

Qui inuenerit descripta pœnitentis peccata, quæ literis mandauit fortè memoriæ causa, vt ea exactiùs confiteatur, tenetur

*Inueniens
descripta
peccata.*

Sigillo, siue iam Confessio facta sit, siue adhuc facienda. Est communis Doctorum: ratio est, quia chartæ istius tenor est aliquid Confessionis, & quasi Confessio scripta; ita vt æquiparari possit chartam eo modo inueniens illi qui casu audit confitentem, de quo suprà diximus. Est etiam charta illa quasi internuntia, iuuans memoriæ confitentis: itaque censetur sigillata sacro Sigillo. Rectè addit Nauarrus in c. Sacerdos, de Pœnitentia, d. 6. n. 9. qui talem schedulam inuenerit, si ex titulo deprehendat contineri eâ proximi confessionem, debere à lectione eius abstinere.

Addo, & colligo ex dictis, non solum Sacerdotem, sed omnes omnino qui ad Confessionis Secretum noscendum quocumque modo pertigerint, teneri illud silentio tegere.

Addamus denique, ipsum pœnitentem non teneri Sigillo Confessionis, quamuis naturali obligatione celare ea debeat, quæ à Confessario audiuit, quatenus alicui, vel

Iuste pœnitens.

sibi

fibi vel ipsi Confessario, aut Sacramento, narratio talium fortè esset onerosa, incommoda vel indecora: quod etiam extendo ad casum, quo id quod reuelatur accidisset culpâ Confessarij, modò in Sacramentali Confessione erratum sic acciderit, vt ad sollicitationem mali non pertineat. Est communis sententia, quam tenet Gabriel in 4. d. 21. qui addit, etiam tunc teneri suam Confessionem quemque celare, quando ex eius reuelatione vel in fama vel in alia re detrimentum incurreret. Vnde infert, etiam pœnitentiam iniunctam debere à pœnitente celari, quando vel Confessori, vel ipsi confitenti inde crearetur aliquid incommodi, vel praiudicij. Quare non dicet concubina suo complici, sibi à Confessario interdictam cum eo conuersationem, quando Sacerdoti inde crearetur periculum. Ceterùm generalius in hac materia locutus est Nauarrus, quando generatim dixit, confitentes teneri ad celanda quæ ipse Confessarius dixerit, quoniam & illa ad forum spectent Dei. Ita ipse in c. Sacerdos, de Pœnitentia, dist. 6. n. 115, qui tamen se non explicat, nisi de illis quæ Confessario essent onerosa, & de illis quæ Confessarius ea mente confitenti dixit vt essent inter ipsos secreta. Vnde patet, eos peccare qui Pœnitentiaros adeunt curiosi-

*Pœnitentia
iniuncta an
celanda.*

rofitatis & tentationis causa, vt eos repre-
 hendant, traducant & rideant apud alios,
 narratis defectibus ipsorum in Confessione
 obseruatis. Notandum tamen, quamuis pœ-
 nitens non teneatur celare, quænam ipse
 confessus sit per obligationem Sigilli Con-
 fessionis Sacramentalis, posse tamen eadem
 vt talia celare, & asseueranter ac etiam iu-
 ratò dicere, quòd illa nemini dixerit; cùm
 nemini dixerit vt homini, sed tantùm vt
 Deo. Item, quòd ea non sit confessus huic
 vel illi Sacerdoti, asseuerare potest, quando
 super hoc vrgetur, intelligendo quòd non
 sit confessus vlli hominum vt homini, sed
 vt Deo; præsertim cùm interrogatio non
 debeat alio sensu accepta præsumi, quàm
 quo legitimè accipi potuit: & in hoc simi-
 lis est ratio Pœnitentis & Sacerdotis, de quo
 egimus suprà Cap. III. Sentit nobiscum
 Graffius lib. 1. cap. 23. n. 30. Decisionum,
 Henriques l. 3. cap. 19. de Pœnitentia; quam-
 uis aliter sentiat Siluius in Supplementum
 D. Thomæ, & alij. Sotus tamen in 4. d. 18.
 art. 5. q. 4. putat, interrogatum an dixerit in
 Confessione, non posse id negare, sed de-
 bere interrogantem increpare: sed meliùs
 dicitur, etiam hoc posse negare, accipiendo
 interrogationem vt fieri poterit sine sacrile-
 gio; quia in Confessione etiam dicuntur
 quæ-

*Confessus
 negare po-
 test, se ta-
 lia dixisse
 aut confes-
 sum esse.*

quædam vt homini ipsi Sacerdoti, y. g. quan-
do ei datur licentia reuelandi, vt patet ex
supradictis Cap. iv. Itaque rectè negabit se
in Confessione dixisse Sacerdoti, intelligen-
do, vt homini. Si Confessarius ad turpia
sollicitauerit pœnitentem in Confessione,
non tenetur pœnitens Sigillo ad illud re-
gendum; sed quatenus opus est, secundùm
regulas prudentiæ, reuelare poterit extra
Confessionem, vbi & quando oportuerit,
non secùs ac si in Confessione non esset di-
ctum: est enim in hoc par Confessario, qui
non tenetur celare quando ipse à pœniten-
te ad illicita sollicitatur, vt dictum est
Cap. viii. Talia enim merè concomitanter
se habèt ad Confessionem; imò potiùs, tam-
quam ei aduersa, censentur ab ipsa prorsus
aliena.

*Pœnitens
ad turpia à
Sacerdote
sollicitatus
in Confes-
sione non
tenetur il-
lud celare.*

Quæres, quando nullum inde oritur de-
trimentum Confessori aut pœnitenti, an
pœnitens possit reuelare satisfactionem seu
pœnitentiam sibi iniunctam. Respondeo:
Bonum est in talibus semper silere; non
tamen semper est peccatum reuelare. Ita
Maior in 4. d. 21. q. 2. Angelus autem di-
cit, quòd eo casu, si velit, liberum sit pœni-
tenti reuelare.



CAPVT XIV.

*An extra Confessionem nullo modo liceat
vri scientia eorum quæ sub Sigillum
cadunt.*

QVANDO locum habent causæ, ob Scientia ex
Confessione
accepta nõ
licet vri cũ
grauamine
pœnitentiæ. quas Sigillum est indictum, certum
est non licere. Itaque, quando vsus iste ali-
quo modo redundaret in grauamen pœni-
tentis, exempli causa, si inde pudore affi-
ceretur, aut aliquod aliud detrimentum pa-
teretur, aut aliquo modo homines inde re-
traherentur à Confessione, certum est non
licere, ne Confessio fiat odiosa. Non licet
etiam, quando inde sequeretur directè aut
indirectè reuelatio peccati, aut peccatoris,
aut Confessionis; etiamsi peccator id non
curaret, vel iam pridem mortuus esset. Vsus
ergo huius scientiæ in se non est illicitus,
sed quia vel pœnitenti est onerosus, vel quia
retrahit à Confessione, vel quia aliquo mo-
do prodit peccatorem, peccatum, vel Con-
fessionem. Vnde colligo, etiam in fauorem
confessi iam demortui non licere Confes-
sori apud illos qui peccatum aliunde sciue-
runt, ipsumque Confessarium sciunt non
aliunde potuisse scire, ita vti scientia ex Con-
fessione accepta, vt isti iam resciscant tale
pecca-

peccatum defunctū isti Sacerdoti esse confessum. Verūm, sicuti suprà diximus, Confessario licere aliquo casu detegere peccata, quæ etiam alia via nouit quàm ex Confessione, etiam si eadem ex Confessione etiam nouerit; ita nunc dicendum est, posse Confessarium uti Confessionis scientia, si usus iste fundari possit etiam in aliis cognitionibus non dependentibus à Confessione, & nemo inde possit venire in vllam suspicionem factæ Confessionis, aut Secreti eius. Exempli causa: Nouit Confessarius ex Confessione conspiratorum aliquorum, domum in qua hospitatur tali nocte esse exurendam; potest mutare hospitium ante illud tempus, dissimulata illa causa, & prætexendo aliam.

*Incendium
ex Confessione
notū
potest Sa-
cerdos vi-
tare.*

Dices: Etiam pœnitenti non potest loqui sine ipsius venia de peccatis quæ in Confessione reuelauit, vt dicitur Cap. xxi. ergo si conspiratores isti sint suspicaturi, quod Confessarius migret è tali domo, propter ea quæ ipsi aperuerunt in Confessione, non licebit ipsi Confessario migrare. Respondeo, loqui pœnitenti de illis quæ aperuit in Confessione, potest ipsi esse graue, & spectare ad aliquam pudefactionem & confusionem nouam, & ita reddi Confessionem odiosam: verūm in casu nostro, neque allo-

curio

cutio vlla est aut pudefactio, neque in aliquo grauat confessos ista fuga, vt benè in simili obseruat Sanches de Matrimonio l. 3. disp. 16.

Quæres: Quid si ex migratione etiam alij conspiratores non confessi sint venturi in suspicionem, quòd Sacerdos idèd migret, quia ex fociis in Confessione conspirationem talem intellexit. Respondeo: Sunt qui negent tunc posse migrare: Scotus tamen sustinet posse, eò quòd fuga illa per se non sit reuelatiua Confessionis, sed in genere significatiuorum habeat æquiuationem: facta enim, solent esse signa æquiuoca. Itaque suspicio talium alio nititur adminiculo, ipsa nimirum conspiratione quam sciunt se fecisse, & fortè quia aliunde norunt quosdam ex fociis isti Sacerdoti esse confessos. Vnde generatim infert Scotus, indifferentia eiusmodi signa non debere censerì proderè Confessionem, licet aliquibus sint magis determinatiua ex aliquo supposito; quam doctrinam multi sequuntur. Respondeo: Quamuis sæpè eiusmodi casus potiùs sint metaphysici quàm morales, & quadam dexteritate semper prætexi iusto dolo possit à Confessario alia causa sui discessus; posito tamen quòd hi impœnitentes viderint aliquos ex suis conspiratoribus Sacerdoti confitentes,

H

fitentes,

fitentes, quos in executione vident abesse, & simul Sacerdotem cui insidiabantur sese absentasse, existimo nihilominus excusari Sacerdotem, quia hæc eius actio nemini est onerosa, & non retrahit quemquam à Confessione, neque reuelat Confessionem: præsertim cum, vt cetera taceam, facile suspicari possint hi latrones, etiam extra Confessionem amicè ipsum monitum esse huius periculi, & ad fugam impulsum. Itaque talis in facto suo usus fuerit iure suo. Accedit, quòd tales casus tam sint enormes & rari, vt inde nemo facile sit auertendus à Confessionis Sacramento, sed quilibet potius sit iudicaturus prudenter fecisse Confessarium, vt benè obseruat Nugnus in Supplementum q. 11. a. 1. Scoti tamen ratio videtur paulò generalior, & posse in praxi interdum habere periculum: quamuis enim ex eo solo quod Sacerdos facit, non coniciat audiens id aut videns peccatum confessi, sed alio adminiculo vtatur; puto tamen hoc non semper excusare, sed solùm quando Sacerdos vtitur iure (cui non fuit præiudicatum per Confessionem) quod habet tuendi propriam vitam, aut simili, & actus eius per se nihil indicat de Confessione. Aliàs quando ius simile non est, vel actus per se determinatè cooperatur ad reuelandum

dum Secretum, etiam si opus sit aduertentium ad miniculo; existimo, quando coram talibus agit, teneri abstinere Sacerdotem à tali facto prodituro Confessionem, ne Confessio fiat odiosa. Quare non recipio quod Adrianus in 4. de hoc casu dicit, frustra in eo laborari, quia hinc non ducit in notitiam criminis confessi Sacerdos, cum crimen istius socij prius satis nouerint, verum in notitiam pœnitentiæ: hoc, inquam, non placet, quia non licet Confessario apud illos loqui de crimine pœnitentis qui illud prius nouerunt, neque potest de pœnitentia eius loqui, quando ea coniunctam habet indicationem criminis, ut dicemus Cap. sequenti.

Videtur Clemens Octauus, in Motu proprio edito anno 1594. 26. Maij de casuum reseruatione, generaliter declarasse, non licere scientiam ex Confessione acceptam applicare ad externam gubernationem. In qua Constitutione tamen potest intelligi aliquid Ecclesiasticæ Constitutionis diuino & naturali Iuri superadditum, obligans Religiosos, apud quos liberior videbatur posse esse usus scientiæ ex Confessione acceptæ. Itaque Superior qui ex Confessione nouit confesso esse periculosum adire talem locum, non potest nunc ex illa scientia ei negare veniam adeundi talem locum, aut pro-

Clemens VIII. inhibuit ne Superiores regant Monachos ex Confessione.

hibere ne eundem adeat; quamuis aliter
 senserit Henriques ante hanc Constitutio-
 nem. Potest tamen in Confessione exigere
 propositum firmum non amplius eum lo-
 cum aduendi, ei que præcipere ne adeat,
 quando tantum est periculum, vt lege na-
 turæ teneatur vitare; & defectu huius pro-
 positi, negare absolutionem. Neque obest,
 quòd ex vitatione istius loci aliqui suspi-
 cantur de mala conuersatione sua in eo lo-
 co aliquid hunc pœnitentem esse confes-
 sum, quia ipsa illa vitatio fit ex consensu
 confessi, vt benè obseruat Suares; & si quid
 de sua Confessione inde propalat, ipse de-
 bito modo propalat: quomodo & emenda-
 tio vitæ indicium est benè factæ Confessio-
 nis. Vbi & illud monuerim, si Confessarius
 sit Superior, posse ipsum ex scientia hausta
 ex Confessione sibi subditos prudentius re-
 gere, magis insistendo vigilantia, ea cautela,
 vt non possit vniquam aliquid aduerti in
 modo eius agendi, vnde Confessio reuela-
 retur, aut in suspicionem vel odium aliquod
 veniret directè aut indirectè: si enim potest
 alios monere vt vigilant, vt infra dicemus;
 multò magis ipse potest vigilare attentius.
 Non poterit tamen Prælati inquisitionem
 particularem contra aliquem instituere ex
 scientia quam ex Confessione mediata vel
 imme-

*Pœnitens
 potest pro-
 dere benè
 se esse con-
 fessum per
 vitæ emen-
 dationem.
 Confessarius
 ex Confes-
 sione potest
 prudentius
 regere, non
 tamen idè
 audire Cō-
 fessiones.*

immediatè habet; sed potest specialiter intendere curæ eorum paternæ, quos improbos nouit ex Confessione, modò id faciat ea circumspectione & moderatione, vt in particulari non sciatur hoc prouenire ex Confessione, & nullo modo inde in odium veniat Confessionis Sacramentum. Quare etiam si vsu vigilantia, quem suprâ licitum diximus, deprehendit ex Confessione complicitis aliquem suum subditum in flagranti delicto, non puniet eum publicè, sed paternè increpabit, eritque ea confusione contentus. Cui conforme est quod Petrus Damianus monet Serm. 2. de S. Andrea, vbi dicit: *Quòd si fortuitò de his quæ in Confessione suscepit causa coram eo fuerit ventilata, non tamquam conscius in pœnitentem declinet, sed quasi nescius iudicarium ordinem permittat excurrere. Habeat autem in voluntate compati & eum liberare, & nitatur aliquid detrudere seueritati, imitans dulcedinem Domini, &c.* Dicunt tamen Doctores quidam, quos citat & sequitur Henriques c. 23. quando non intenditur punitio, sed solùm inquiritur in merita eius de cuius promotione agitur, licere secretò, & cum debita cautela ne odio grauetur Confessio, sine vlla delicti manifestatione, ex scientia orta ex Confessione alterius, procedere ad parti-

cularem inquisitionem de conuersatione complicitis. Quod tamen ego existimo prohiberi Prælati Religiosorum per Constitutionem Clementis supradictam; & in euentum quo periculum vllum esset sciendi, hoc ex Confessione occasionem sumpsisse, existimo non esse in praxin deducendum etiam extra Monasticum regimen. Ceterum etiam si quis possit ex Confessionis auditione fieri prudentior, non tamen ideò Confessionem audiat, vt in regimine suorum fiat prudentior. Ita Nugnus.

*In electione
ad officia
quomodo
utendum
Confessione.*

Quæri & illud hîc potest, an ex Confessione sciens aliquem esse indignum officio, possit eum non eligere, etiam si dignissimum iudicare deberet eundem ex scientia quam extra Confessionem habet. Respondeo: In primis talis non tenetur talem non eligere, licet teneatur non eligere indignum, aut saltem non incurrit pœnam indignum eligentis, propter fauorem Secreti Confessionis.

Secundò, Si lege Pontificia, cuius est facta mentio suprâ, teneatur non vti scientia ex Confessione accepta, teneri eum eligere.

Tertiò, Teneri talem etiam tunc eligere, quando suffragia publicè sciuntur, vt innotescat quis quem eligat, & hic sciatur eius esse Confessarius, & non eligendo redderet Confessionem suspectam.

Quartò,

Quartò, Quando scitur hic eius esse Confessarius, & vota in particulari secreta sunt vt nesciatur quis quem elegerit; verius nihilominus videtur, non licere hunc non eligere, quando votantes inter se conferrent, & Confessarij votum resciscerent, & suspicio, vt in superiori casu, oriretur.

Quintò, Etiam si à solo eligendo sciatur esse eius Confessarius, verius videtur non posse ex sacra illa scientia ipsum præterire; quando fortè ab illo se præteritum resciscere posset, & hoc ipsi graue & probrosum esset, & apud ipsum Confessionem redderet exosam. Ita tenet Siluius in Supplementum D. Thomæ.

Sextò, Generatim probabile est, nullo vnquam casu, etiam quando id nemo rescisceret Cõfessarium fecisse, licere vti scientia Confessionis in electione, & omnino in omnibus quæ pœnitentem grauant; quia etiam si in particulari hîc & nunc ignoretur ex qua scientia agat Confessarius, retrahit tamen infirmos à Confessione, si nouerint fieri posse, vt occasione Confessionis non eligantur, sed puniantur inuiti. Ita tenet Beia casu 10. 3. parte: dicit enim, quando ex sola Cõfessione nosset non esse dignum, & alij eligerent, debere eligere sub mortali, neque incurrere pœnam si qua sit contra

120 IO. MALDERI TRACTATUS
eligentes indignum. Dico *infirmos*; quia
puto, in fauorem Confessionis, non tantum
consideranda esse incommoda respectu il-
lorum qui iusta de causa à Confessione alie-
narentur; sed etiam respectu illorum infir-
morum, qui apprehenderent eandem Con-
fessionem, si contra se eius liceret uti scien-
tia, tamquam odiosam, ideoque ab ea auer-
terentur, non quidem omnino meritò, sed
ex fragilitate quadam humana: homines e-
nim infirmi magis alliciendi sunt ad Con-
fessionem, eoque magis ipsi indigent quàm
perfectiores. Hæc quidem procedunt, quan-
do non possunt aliæ causæ prætexi præter-
eundi indignum: quia si allegari possit de-
fectus ætatis, scientiæ, aut aliquid eiusmodi,
non dubium, quin Confessarius possit, illis
allegatis, præterire eum quem ex Confessio-
ne secretò nouit indignum.

*Deponi ex
scientia
Confessionis,
an quis
possit.*

Quæri etiam potest, an Prælati qui ex
Confessione nouit pœnitentem esse indi-
gnum & inidoneum ad officium quo fungi-
tur, possit ipsum ab officio isto amouere,
præsertim si moris sit Religiosos pro libitu
tali officio admouere & priuare sine vlla no-
ta. Respondeo, post Constitutionem Cle-
mentis non esse hoc faciendum, nisi aliâ
scientiâ dirigatur Prælati ad prudenter hunc
amouendum: alioqui prius non erat illicitum,
tum,

tum, modò fieret sine omni periculo suspi-
candi quòd scientia Confessionis ad hanc
priuationem concurrisset, ita vt ne quidem
ipse amotus in hanc suspicionem esset de-
uenturus. Prudenter id monuit Antoninus,
post D. Thomam, Confessionalis sui c. 27.
qui vult rem differri, donec sine nota aut
suspensione tali amoueri possit. Si autem a-
moueri quemquam à tali officio sine causa
moris non sit, non amoueat occasione Con-
fessionis, sed expectet commoditatem oc-
currentis liquidæ alterius causæ. Ceterùm
ne impediatur per Confessiones in suo re-
gimine, & vt sua libertas seruetur subditis,
rectè statuit Clemens VIII. non licere Su-
perioribus Regularium subditorum Con-
fessiones audire, nisi quando peccatum ali-
quod reseruatam admiserint, aut ipsimet
subditi sponte & proprio motu id ab iis pe-
tierint.

Quæritur denique, an Confessarius, qui
per Confessionem nouit conpirationem
proditorum, non possit monere eos quibus
custodia incumbit vt vigilant. Respondeo,
istud admittere Doctores. Ita tenet Regi-
naldus lib. 3. c. 2. Nauarrus in c. Sacerdos,
de Pœnitentia, dist. 6. n. 124. qui addit, tene-
ri id facere, & esse communem. Id tamen
limitauerim, quando fieret sine aliqua con-

*Confessarius
monere po-
test ex Cõ-
fessione
pæfectos
ciuitatis vt
vigilent.*

H 5 fiten-

firentis expressione ; aded vt ne quidem eo
 casu, quo impediri pessimum flagitium non
 possit, nisi eo expresso, liceat prodere con-
 fessum. At quid dicendum, si monitio ista
 fieri non possit, nisi cum suspicione quod
 Sacerdos ex Confessione sola sciat pericu-
 lum cuius monet. Respondeo, quando sa-
 tis cauetur ne veniatur in notitiam confessi
 aut peccati in particulari, non obesse quod
 suspicentur, aut etiam certò arbitrentur
 huc monitorem illam generalem scientiam
 habere ex Confessione ; non tamen potest
 talis dicere, Scio ex Confessione imminere
 periculum, cum eiusmodi forma odiosam
 reddat Confessionem, & eius etiam nulla sit
 necessitas, etiamsi odiosam non redderet.
 Caueat etiam Confessarius, ne dicat specia-
 tim à quo peccato immineat periculum,
 v.g. ne dicat, Vigila, quia hac nocte est com-
 mittendum furtum : tunc enim non solum
 ipse excederet prodendo eminus peccato-
 rem, sed clauderet manum Iudici, ne sic
 deprehensum puniat, secundum ea quæ di-
 ximus Capite superiori. Quamuis autem
 verbis ita particularibus uti non possit, re-
 ipsa tamen & facto aliquo potest furtum
 alio pretextu impedire, vtpote si conuiuium
 aliquod institui curet vesperi in ea domo,
 quam ex Confessione nonit spoliandam ista
 nocte,

nocte, & in seram noctem detineat honesto aliquo prætextu conuiuas, quo furtum impediatur. Monet etiam non immeritò nonnulli, maximè Eudæmon-Ioannes Apologizæ pro Garneto cap. 13. non conuenire ut Confessarius moneat Superiorem generaliter, quando verisimiliter putat sic prodendum confessum: & quia sæpè contingit, ut aut pœnitens, vel ij qui per Confessionem Sacerdoti detecti sunt, sint prodendi per generalem hanc monitionem, vel parum utilitatis ex ea prouenturum sit, monuit rectè Reginaldus, circumspectè agendum Confessario, ne hîc, dum sequitur probabilem speculationem, incidat in praxin periculosam; quia Sacramentalis Confessio tantum est instituta ad medendum peccatoribus in foro conscientiz. Quare verius existimo, nisi omnino certissimus sit, nihil Sigillo aut Confessionis fauori id obfuturum, quod rarum est, non teneri Confessarium ad monendum Superiores generatim ut vigilent, ex cognitione Confessionis, sine licentia confitentis, licet monere possit adhibitis supradictis cautelis. Est quidem verum, etiam quando magna est necessitas Superiorem monendi, conuenire ut potius ipse pœnitens hoc faciat quàm Confessarius; sed non credo semper ei negandam esse absolutionem, quando

Rariùs tamen, & cū magna cautela.

quando id facere recusat, quia propter ruditatem suam fortè periclitaretur si ipsemet moneret Superiorem. Oportet etiam istam monitionem fieri secretò. Quare non probo, quòd in concione, ista secreta pericula generatim dicantur, aut periculum manifestetur, quando Superiores adeundo cauere potest; præsertim cùm contingat, pœnitentes, id dictum esse in concione intelligentes, offendi, & à Confessione in posterum facienda fieri alieniores, vt benè obseruat Sotus in 4. d. 18. q. 4. art. 5. Ideò Nauarrus supra n. 77. monet, sæpè esse scandalosum & periculosum dicere, Tale peccatum in Confessione audiui. pro quo citat Prieram, Hostiensem, & Umbertum, qui numquam vult illud in concione vel familiari sermone fieri. Graffius lib. 1. c. 23. n. 39. permittit concionatoribus concionari contra peccata in Confessione audita, etiam dicendo, in Confessione se ea audiuisse; quamuis fateatur, hoc posterius esse periculosum & scandalum obnoxium. Scandalum etiam facilius oritur, quando quis paucos habet pœnitentes sibi subditos, & coram eis concionatur contra defectus in Confessione detectos: vt si Confessarius Nouitiorum in aliquo Monasterio, aut Confessarius Monialium concionetur coram ipsis de vitiis in Confessione

reue-

*In concione
quomodo
sciētia Cō-
fessionis uti
liceat.*

reuelatis. Tunc enim facilè contingeret rubore suffundi confessos. Quare Henriques dicit non conuenire, vt vbi communiter quis prædicat, ibidem Confessiones audiat. Beia 3. parte, casu 15. dicit, concionantem de peccatis, quæ se dicit in Confessione isto loco audiuisse, modò ita prudenter id faciat & cautè, vt impossibile sit inde prodi peccatorem, non esse violatorem Sigilli: peccare tamen mortaliter propter scandalum datum, & quia Confessionem reddit odiosam. Bañesius similiter 2. 2. q. 33. art. 8. grauitè perstringit eos, qui ex Confessione concionantur, aut concionari curant, quando confessus inde fit suspectus, aut magis suspectus de crimine quod in Confessione explicuit. Tutissimum est in talibus, ipsos pœnitentes priùs vrgerè, vt vel ipsi detegant Superioribus, vel facultatem dent Confessario eisdem detegendi: sed quando id non succedit, tum demum deueniendum esset ad ea quæ diximus; numquam autem ad reuelationem Confessionis. Simili ferè modo cautela adhibenda est, quando Confessarius de casu in Confessione audito consulit peritiorem: nisi enim intercedat pœnitentis consensus, ita ipsum agere oportet, ne eum detegat directè aut indirectè. Benè monet Victoria in Summa Sacramentorum, de Confessione

*Confessarius
quomodo
de confessis
consulet peritiorem.*

fione num. 189. non expedire sæpè dicere. Illum casum in Confessione audiui.

*Quomodo
segeret Cō-
fessarius
arga eum
quem sua
furari ex
Confessione
intelligit.*

Huc spectat dubium satis anxium, An Pa-
rochus ex Confessione sui famuli intelli-
gens ipsum esse furem, non possit ex sola il-
la notitia eum dimittere. Sunt enim duæ
contrariæ opiniones. Vna dicit, dimittere
posse. Ita tenet Vasques quæst. 93. Henri-
ques lib. 3. de Pœnitentia cap. 23. num. 5.
Altera negat, talem posse dimittere furem
ex notitia sola Confessionis. Ita Bonacina
d. 5. q. 6. sect. 5. p. 4. n. 15. Quod verius vi-
detur; esset enim quædam correptio extra
Confessionem pudefaciens pœnitentem. Se-
cùs dixerò, si prudentiùs inuigiládo in actus
famuli deprehendat relapsum in furtum:
tunc enim poterit alio prætextu & occultè
ipsum dimittere. Dico, *alio prætextu*; quia
si alium prætextum inuenire non possit ita
speciosum, quin famulus suspicari possit ori-
ginem suæ dimissionis esse ex scientia Con-
fessionis, non probarim etiam tunc dimis-
sionem.

*Quid agen-
dum Sacer-
doti, qui
ex Confes-
sione nouit
in Sacro si-
bi porri-
gendum ve-
nenum.*

Addi hîc potest aliud dubium. Nouit Sa-
cerdos ex Confessione sibi in Calice porri-
gendum venenum, an possit à Sacro absti-
nere. Respondeo, posse, prætexendo aliam
causam; vtpote dicendo, quòd sanitati suæ
obfuturum sentiat si celebret. Sed quares,
an

an supposito quòd possit, teneatur eo casu
abstinere à tali celebratione. Respondeo:
Quamuis in similibus casibus euenire pos-
sit, vt Sacerdos licet possit vti scientia Con-
fessionis pro iure suo, non tamen teneatur
ea vti pro reuerentia Sacramenti Confes-
sionis; non videtur tamen improbabile,
quòd in casu isto teneatur abstinere à con-
secratione talis Calicis, eiusque sumptione:
præter ius enim tuendi vitam, concurrat vi-
tanda magna irreuerentia Sacramenti Eu-
charistiæ. Ita Coninck, & Bonacina; qui ta-
men addit, quòd talis Sacerdos fugere isto
casu non possit, si pœnitentem propter fu-
gam Sacerdotis, tamquã proditorem suum,
sint impij machinatores malè tractaturi, vel
etiam necaturi.

Huius sententiæ etiam est Beia 3. p. ca-
su 11. vbi vult, Parochum qui à latronibus
vocatur quasi ad infirmum vt occidatur, &
in via ex nuntij Confessione nouit se occi-
dendum, non posse fugere, si ab eis nuntius
vice Parochi tamquam proditor sit occi-
dendus. Dicit enim tali casu Sacerdotem
prodere Confessionem, & fieri irregularem,
secuta nece istius pœnitentis. Confessionem
prodi probat, quia prodit fictionem & do-
lum quo ducebatur ad latrones, quem do-
lum sola Confessione nouit. Prodit (in-
quam)

quam) fuga sua, cuius aliam prætexere causam non potest. Irregularitatem incurri probat, quia sufficientem dat causam homicidio istius pœnitentis per eiusmodi suam fugam cum talibus circumstantiis. Verùm in isto casu considero, quòd Sacerdos intelligens non esse ibi infirmum, ius habuerit redeundi, & quòd potuerit pœnitenti suadere, vt & ipse fugiat, manusque scelestas euadat. Si tamen ponas vtrumque casum talem, vt pœnitens certò præscitus à Sacerdote fuerit per complices occidendus, & euadere non potuerit, & Sacerdos fugæ suæ causam aliam prætexere non potuerit, quæ omnia vix moraliter contingunt, concedo in eandem sententiam.

*Confessor
an inuito
pœnitente
possit con-
sultare peri-
torem de
eius pecca-
tis.*

*In cõuiuiis
de Confes-
sione loquẽ-
tes repre-
henduntur.*

Quæres, an Confessarius possit consulere prudentiorem aut doctiorẽ de peccato confessi, etiam non explicando particularia ex quibus ipse proderetur, inuito pœnitente; puta quando petit ne cui hac de re etiam in genere, etiam prætextu capiendi consilij, loquatur. Respondeo, non posse. ita ex Soto Reginaldus. Itaque si absque alterius consilio nequeat tunc officio fungi Sacerdos, dimittet hominem sine absolutione. Ex dictis colligo, quàm longè recedant à Sacerdotali gratuitate, qui etiam in conuiuiis hac aut illa dicunt se in Confessione audiuisse; quamuis

uis enim non exprimant circumstantias particulares, aut saltem exprimere non intendant, periculo tamen se graui exponunt. Exemplum reperi apud B. Medinam in Instructione Confessorum lib. 2. c. 4. quod meritò deterreat Confessarios à familiari colloquio de auditis in Confessione: præsente enim marito, feminae de qua intelligebat dixit quidam Confessarius, Prima mulier, quam ego poenitentem audiui, erat adultera. postea alio loco, præsente marito, dixit eidem feminae; Tu es prima spiritualis filia, quam ego confitentem audiui. Cogitet Lector, quæ conclusio ex his præmissis, & quæ incommoda ex conclusione apud talem maritum sint secuta. Hi fructus sunt nimis procliuium ad colloquendum familiariter etiam in genere de auditis in Confessione. Meritò ideò eos passim reprehendunt Doctores: vide Lopes cap. 37. quamuis etiam citra periculum reuelationis inhonestum sit & irreligiosum ad iocos adhibere aut recreationem, quæ ex isto sanctuario accepta fuerint. Quare meritò id reprehendit Sotus Relectione de Tegendo secreto, membro 3. q. 4. & Hostiensis dixit esse tales Confessarios, qui quasi ridentes & iocantes conferunt inter sese Confessiones auditas, priuandos facultate audiendi Confessio-

130 IO. MALDERI TRACTATVS
fessiones. Certè partem mihi videntur habi-
turi cum illis Babyloniis, qui temulenti bi-
berunt ex sacris vasis templi, Dan. 5.

Quæri deniq; hîc potest, an Parochi rectè
ab Episcopis compellâtur deferre aut citare
delinquentes suos subditos ad tribunal ex-
ternum: videtur enim id fieri cum aliquo
odio Confessionis, cum facilè subditi suspi-
centur aut prætexere possint, ex sua aut alio-
rum Sacramentali Confessione Parochum
hausisse scientiam totam aut perfectiorem
criminum, de quibus accusantur. Respon-
deo; quando istius incommodi esset pericu-
lum, etiamsi merus esset subditorum præ-
textus, meritò ad euitanda scandala posse ab
Episcopis Parochos excusari à tali denuncia-
tione & citatione: quod anno 1518. Episco-
pus Cameracensis declarauit, ad querelas
Sacerdotum districtus Decanatus Antuer-
piensis. Sæpè tamen in manifestis, etiam pu-
blicis & scandalosis delictis, non est pericu-
lum istiusmodi prætextus; quo casu Para-
chus potest denunciare, aut citare si iustus
fuerit, sine vllò scrupulo. Ceterùm in du-
bio expedit subditos pro Superiore, & Su-
periozem pro Confessione præsumere, ip-
sumque à subditis consuli.

CAPVT

CAPVT XV.

Quenam sit propriè materia Sigilli.

EST materia Sigilli propriè mortale vel veniale peccatum confitentis, quatenus Confessione detectum. Continetur etiam Sigillo quidquid Confessione explicatum tale est, vt narratum aut reuelatum explicite vel implicite, directe vel indirecte detectum, Confessionem reddat apud pœnitentem aut alios odiosam; aut aliquo modo in damnum, grauamen aut pudefactionem pœnitentis, aut in iniuriam Sacramenti cedat. Vnde & defectus natalium, vitia occulta corporis, & similia, quæ pœnitentes sua peccata explicando reuelant, sub Sigillum cadunt (quamuis id neget Pefantius) etiam si parum conducat eorum explicatio ad peccati narrationem, sed ex simplicitate pœnitentis addantur. Neque enim considerandum est solùm, an impertinentia sint ad peccati explicationem vt à Sigillò talia eximantur, sed an tamquam ad explicandum peccatum reipsa addantur, aut concomitanter solùm interferantur: quamuis etiam de concomitanter solùm insertis monuerit rectè Suarez, prudenter & parcè esse Cōfessario loquendum. Emanuel Sà v. Confessor,

*Materia
Sigilli propriè sunt
peccata.*

*Item quod
detectum
cedit in odium
Confessionis.*

fessor, secutus Gabrielem, dicit tegendum esse quicquid pœnitens regi voluerit. Quod accipiendo de Secreto naturali verum est, sed non facillè admiserò, omnia quæ pœnitens vult Sigillo concludi, mox sub eo propriè concludi, etiamsi in Confessione sint dicta. Sentit nobiscum Henriques lib. 3. de Pœnitentia cap. 19. n. 4. Et hoc fortè voluit Victoria, quando in Summa n. 188. dicit talia commendata à pœnitente vt habeantur sub Sigillo, cum per se non sint materia Sigilli, esse quasi sub Sigillo minori, & esse celanda ne Confessio habeatur fraudulosa. Ceterùm circumstantias & obiecta peccatorum, ex quorum detectione aliquo modo detegeretur aut detegi posset peccatum, certum est sub Sigillum cadere: Nauarrus in c. Sacerdos, de Pœnitentia d. 6. Si pœnitens velit esse secretum quòd huic sit confessus, fortè ne offendat ordinarium suum Confessarium, tenetur Confessarius etiam hoc celare: Reginaldus lib. 3. cap. 4.

Etiam futura peccata sunt materia Sigilli.

Quæres, an peccata non solum præterita, sed etiam futura cadant sub Sigillum. Respondeo affirmatiuè. Tenet D. Thomas Suppl. q. 11. art. 1. ad 1. Vasques q. 93. art. 4. dub. 3. Suarez disp. 33. sect. 3. Henriques lib. 3. de Pœnitentia cap. 19. num. 8. Reginaldus lib. 3. c. 5. n. 65. Gabriel in 4. dist. 21.

Itaque

Itaque sub Sigillum cadit propositum perpetrandi peccata quod confitens se habere fatetur, etiamsi similia prius non fecerit: tunc enim quando est propositum continuandi peccati statum, nemo diffitetur illud sub Sigillum cadere, & contraria secundum D. Thomam est erronea. Item propositum complicitis, & futura peccata ex utriusque proposito, vel alterius tantum. Propositum enim quod in Confessione aperitur, habet illa peccata pro obiectis; obiecta autem peccatorum etiam sub Sigillum cadunt, sicut & circumstantiæ, ut paulò antè diximus.

Aduerto tamen, esse distinguendum hinc peccatum futurum, quod ex Confessione verè Sacramentali innotescit, & quod innotescit ex simulata non verè Sacramentali Confessione, de quo diximus suprà Cap. viii quòd non sit celandum, sed possit aliquando reuelari, & aliquando etiam reuelari debeat. Quæ distinctio non satis obseruata multos fefellit; inter quos etiam reperio fuisse Panormitanum in c. Omnis, & Innocentium ab ipso citatum, quando indistinctè peccatum committendum, & de quo non est contritio, excludunt à Sigillo. Itaque ut discernas, an peccatum futurum tibi in Confessione dictum tenearis habere sub

*Peccatum,
de quo non
est contritio,
quando ca-
dat sub Si-
gillu, quã-
do non.*

134 IO. MALDERI TRACTATUS
Sigillo, inspice quo animo te accesserit peccator: si enim præter futurum peccatum nihil dicens potius rideat quàm faciat Confessionem, non teneris Sigillo, vt supra dictum est. Si verò vel alia peccata sit cum intentione relata ad Claves confessus, & futurum detegat à cuius proposito passione superatus se desistere non posse fateatur, aut etiam nihil aliud fateatur quàm hoc ipsum malum propositum se habuisse, & etiamnum habere, & nescire quomodo sese ab eo poterit expedire, & similia; teneris Sigillo, quia agit cum Confessario vt tali, & vt animæ medico, cuius est pro virili sua vulnera peccatoris sibi ostensa sanare, & in omnem euentum summo studio, & quasi emplastro quodam suo tegere, ne tales penè desperati omnino deterreantur à Confessionis necessario remedio, quo maximè indigent. Itaque Sigillum habet locum, quando Confessio fit animo se accusandi in hoc foro Pœnitentiæ secreto, & aliquo modo se Clauibus subiiciendi vt iuuetur, eo modo quo Confessor iudicabit id fieri posse; si non absoluendo, saltem dando consilium, ne lignum fumigans extinguatur, & similibus modis; non obstante aliàs mala dispositione: verbi gratia, etiamsi dicat, se, cum non sit Sacerdos, celebraffe, & velle in posterum cele-

celebra
quand
rus su
tentio
malum
iam in
riam S
Du
tentis
gillum
com
de Sa
num.
accus
gatio
volue
nem
nisi f
via d
qua
dina
dus
absq
laud
la C
plur
Con
inno
per

cele-

celebrare. Præsumitur autem pro Sigillo, quando dubium est, an accesserit confessus sufficienti ad Sigilli obligationem intentione, an verò solo animo sollicitandi ad malum, aut irridendi. Ex dictis colligitur, etiam impedimentum absolutionis esse materiam Sacramentalis Confessionis & Sigilli.

Dubitabit fortè quis, an virtutes pœnitentis detectæ in Confessione cadant sub Sigillum. Respondeo, non cadere: ita habet communis opinio, quam sequitur Bonacina de Sacramentis, disp. 5. sect. 5. puncto 2. num. 11. Ratio est, quia nemo illas refert se accusando. Poterit tamen esse naturalis obligatio virtutes celandi, quantum pœnitens voluerit; alioqui certum est, earum relationem non reddere Confessionem odiosam, nisi fortè ex virtutum narratione sternatur via directè vel indirectè ad detegenda aliqua confessi vitia vel peccata, vt benè Medina Codice de Confess. q. 27. & Reginaldus lib. 3. cap. 4. initio. Exemplum est, si absque licentia peccatorem etiam publicum laudet de serua sua pœnitentia, quam in sola Confessione aduertit. Licite laudis exemplum est in Vita B. Thomæ Aquinatis, cuius Confessarius testatus est ipsum virginem & innocentem fuisse. Absit tamen in istis semper indirecta aliorum vituperatio, vt mo-

nuimus Cap. XII. Ab hoc defectu libera esse poterat viri tam conspicuæ sanctitatis commédatio. Simile quid reperitur in Vita B. Iacobi de Marchia. Benè monuit Soto infra citandus, rarissimè Confessarium etiam post mortem debere dicere de suo pœnitente, Numquam talis confessus est mihi peccatum mortale. Si è contrario Confessarius audiat laudari ab aliis pœnitentem, quem ipse nouit non esse tam bonum ac vulgò putatur, caueat ne laudantem, ex Confessione corrigat, sed dissimulet se audire, vel vulgi opinioni exterius se quoad potest conformet. Ita Maior. Benè etiam monuit idem Sotus de Tegendo secreto, membro 3. q. 4. non solùm non esse Confessario dicendum quid in Confessione audiuerit, sed neque negandum ei esse ibi audiuisse quæ non audiuit; adeò vt in fauorem innocentis non possit testari ipsum in Confessione sibi hoc delictum non esse factum.

Error in modo confitendi est materia Sigilli.

Dubitari & illud potest, an sub Sigillum cadant ipsi errores pœnitentis in modo confitendi admissi. Respondeo: Quidquid verecundiam pœnitenti inferre potest, vt dictum est, celandum est. itaque & eiusmodi errores celandi hactenus, vt cum designatione personæ detegi non possint: quæ designatio personæ sufficienter fit, quando Sacerdos

cerdos dicit, Hic quem vides non nouit modum confitendi, etiamsi persona neutri sit nota.

Cùm non omnia quæ cadunt sub Sigillum, æquali gradu sub Secretum istud cadant; quæritur, quænam inter illa sit distantia. Respondet benè Richardus, & ponit quatuor gradus talium celandorum.

Primus est eius, quod necessariò, absolute, primò, directè & explicitè, & ex omnibus causis sub Sigillum cadit. Tale est peccatum cum reuelatione personæ; quia in peccato sic reuelato locum habent omnes causæ ob quas vitanda erat violatio Sigilli, nimirum Sacramenti occultantis peccata violatio, odium Confessionis, retractio à Confessione, &c. Vbi obiter addo ex Candelabro Viualdi, nihil hîc referre an eadem peccata priùs antea pœnitens sit confessus: certum enim est, etiam generales Confessiones, quæ fiunt Sacramentaliter de peccatis totius vitæ, cadere sub Sigillum, etiamsi priùs eadem per partes pœnitens peccata fuerit confessus.

*Quatuor
gradus Cō-
fessario ce-
landorum.*

Secundus est eius, quod quidem necessariò & absolute cadit sub Sigillum, verum non primò, sed ex consequenti, indirectè & implicite; nec ex omnibus causis, sed ex aliquibus tantum. Talis est com-

I 5 plex

plex, siue persona cum qua pœnitens fate-
tur se peccasse.

Tertius gradus est eius, quod cadit qui-
dem necessariò sub Sigillum, sed non abso-
lutè, at solùm sub conditione: si nimirum
ex eius relatione contingeret, per se vel per
accidens, directè vel indirectè, pœnitentem
affici aliquo pudore vel confusione, vel in
malam incidere aliorum suspicionem, vel
in aliud aliquod incommodum. Talia sunt
etiam peccata relata sine indicio eius qui
ea admisisse confessus fuerit.

Quartus gradus est eorum, quæ non ca-
dunt sub Sigillum nisi ex aliqua congrui-
tate. Talia sunt quæ peccata non sunt, &
concomitanter solùm narrantur in Confes-
sione, præsertim si non det indicium pœni-
tens, quòd etiam illa celari velit; vt si dicat
in certa regione esse magnam vbertatem.

Coronidis loco addam hîc aliam quæ-
stiunculam, anne contingat aliquando con-
ferri alicui Sacramentum Confessionis siue
Sacramentalem absolutionem sine Confes-
sione, adeoq; sine Sigillo Confessionis. Ho-
die enim video quosdam defendere, esse
probabile, saltem in articulo mortis eum
Catholicum esse absoluendum Sacramen-
taliter, qui nulla signa doloris & affectus,
siue voluntatis confitendi, per se vel per alios
osten-

ostenderit, dummodò impœnitentem se non ostenderit, Decepti sunt fortè auctoritate D. Augustini de Adulterinis coniugiis lib. 1. cap. ultimo, qui non loquitur de talibus, sed de illis quibus aliquo modo petentibus Baptisma, aut post Confessionem instantibus pro Sacramentali absolutione, dilata erat petiti concessio, quia auelli non poterant à consuetudine peccandi dum sani erant; de qua iniquitate, iam in ægitudine graui constituti, præsumuntur ingemuisse. Verba S. Augustini ita habent: *Ego non solum alios Catechumenos, verum etiam ipsos, qui viuentium coniugiis copulati retinēt adulterina consortia, cum saluos corpore in his permanentes non admittamus ad Baptismum, tamen si desperati & intra se pœnitentes iauerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto.* & infra: *Quæ autem Baptismatis, eadem Reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupauerit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet Ecclesia.* Si verba expendantur Augustini, aduersantur apertè nouæ isti opinioni. Augustinus enim vult sic agi cum adultero pœnitente baptizato quoad absolutionem Sacramentalem, sicuti agitur cum Catechumeno adultero quoad Baptismum. Atqui Catechumeno

chumeno non daretur illo casu Baptisma nisi esset inter competentes istud Sacramentum. Quod in ipso textu clarum est, & clarius euadere potest ex libro De fide & operibus capite sexto, illis verbis: *Sed prius, inquirunt, baptizetur; deinde doceatur quid ad bonam vitam moresq; pertineat. Fit hoc ubi quemquam dies forte urget extremus, ut ad verba paucissima, quibus tamen omnia continentur, credat, Sacramentumq; percipiat.* Agitur enim de illis qui iam expetierant baptizari, ostendit verbis paulò post ibidem sequentibus: *An usque adeò dissimulamus à sensibus nostris, ut vel nos ipsos non recordemur quàm fuerimus attentis atque sollicitis quid nobis precipere à quibus catechizabamur, cum fontis illius Sacramenta peteremus, atque ob hoc competentes etiam vocaremur.* Itaque ex mente Augustini non danda est arrha pacis illi pœnitenti, hoc est iam inter pœnitentes constituto, etiam quando mors imminet, qui non prius se inter confitentes peccata sua & petentes absolutionis beneficium obtulisset. Cuius contrarium habet noua ista opinio, contra Ecclesiæ Catholicæ constantem traditionem. Sanè Concilium Tridentinum anathema dicit illi, qui sine Confessione quempiam dixerit posse Sacramentaliter absolui. Ita enim dicit Sess. 14. Can. 9.

Si quis

Si quis dixerit, *absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata confitenti; modò tantùm credat, se esse absolutum; aut Sacerdos non serio, sed ioco absoluat; aut dixerit, non requiri Confessionem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolueret possit, anathema sit.* Ex quo Canone etiam hoc habemus, *absolutionem in hoc Sacramento esse iudicialem.* Iudicium autem non exercetur vbi accusatio nulla est. His conformiter ordinauimus anno 1615. Pastoribus nostræ Diœcesis, ne eos absoluerent, qui ne quidem generaliter, aut per vllum signum contritionis in ordine ad Pœnitentiæ Sacramentum, fuissent confessi. Profectò in re Sacramentaria, adeoque Diuinæ & positivæ Legis, multùm sibi sumunt, qui probabilem opinionem statuunt sine veteris traditionis vlla apparentia. Hactenus non vidi qui edito in lucem Tractatu defendat laxam illam opinionem; & clamatur esse probabilem, cùm paucorum sit, & textus contra se habeat, quibus non respondent eius defensores. Rectè dicit Nauarrus Enchir. cap. 7. num. 4. isto casu etiam communiorem sententiam Doctorum non esse sequendam, quando textus vel ratio repugnat cui non satis benè potest responderi.

Noua

Noua ergo ista opinio practicanda non est. In huius rei maiorem confirmationem plura adduci possunt: nam Rituale Romanum iussu Pauli Quinti editum, inter alia, instruens Confessarios, dicit: *Videat autem diligenter Sacerdos, quando & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absoluat eos qui talis beneficij sunt incapaces, quales sunt qui nulla dant signa doloris.* In casu aduersariorum absoluitur qui nullum dedit signum doloris. & infra habet eadem instructio hæc verba: *Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela egrum deficit, nuiibus & signis conetur, quoad eius fieri poterit, peccata penitentis cognoscere: quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium siue per se siue per alios ostenderit, absoluendus est.* Censuit ergo instructor, quando nulla est ostensio desiderij confitendi, aut contritionis in ordine ad Claves, non esse locum absolutioni.

Addam & Decretalem Leonis Primi ad Theodorum Foroiuliensem Episcopum, quæ est Epist. 91. *Necessitati talium ita auxiliandum est, ut nec actio illis penitentia, nec communionis gratia denegetur, si eam, etiam amisso eis vocis officio, per indicium integri sensus querere comprobentur.* Quod si aliqua egritudine

tudine ita fuerint aggrauati, ut quod paulo
 antè poscebant, sub præsentia Sacerdotis signi-
 ficare non valeant; testimonia eis fidelium cir-
 cumstantium prodesse debebunt, ut simul &
 pœnitentia & reconciliationis beneficium con-
 sequantur. Quid verò Pontifex idem sense-
 rit de illis, qui ne quidem per signa coram
 Sacerdote, aut ipso absente coram testibus
 qui id deponant, confitendo morbum, me-
 dicinam absolutionis expetierunt, dicen-
 dum esse, verba eius in eadem Epistola de-
 clarant: Si autem aliquis eorum, pro quibus
 Domino supplicamus, quocumque interceptus
 obstaculo, à munere indulgentiæ præsentis ex-
 ciderit, & priusquam ad constituta remedia
 perueniat, temporalem vitam humana condi-
 tione finierit; quod manens in corpore non re-
 ceperit, consequi exutus carne non poterit.
 Nec necesse est, nos eorum qui sic obierint me-
 rita actusq; discutere; cùm Dominus Deus no-
 ster, cuius iudicia nequeunt comprehendere, quod
 Sacerdotale ministerium implere non potuit
 suæ iustitiæ reseruauerit: ita potestatem suam
 timeri volens, ut hic terror omnibus prosit, &
 quod quibusdam tepidis aut negligentibus ac-
 cidit, nemo non metuat. Vult ergo Pontifex
 illos tepidos & negligentes excludi à bene-
 ficio absolutionis, qui suis actibus eam non
 petierint. Conformia dictis habet Arausi-
 canum

144 IO. MALDERI TRACTATVS
canum primum c. 12. *Subitò obmutescens,*
prout statutum est, baptizari aut pœnitentiam
accipere potest, si voluntatis praterita testimo-
nium aliorum verbis habeat, aut presentis in
suo nutu. Similia habet Concilium Cartha-
ginense tertium, c. 34. & refertur c. Agro-
tantes, de Consecratione dist. 4. & Cartha-
ginense quartum, c. 76. & refertur c. Ii
qui, 26. q. 6. Ex his testimoniis Conciliorum
& Pontificis Leonis videmus, religiosè sem-
per à Patribus cautum fuisse, ne absolui
permitterent qui nulla signa dedissent, per
quæ aliqua Confessio haberi censeatur. Ne-
que id immeritò; semper enim Ecclesia fen-
sit, Confessionem esse materiam huius Sa-
cramenti, & non magis sine aliqua Confes-
sione posse quempiam lapsum post baptisma
Sacramentaliter absolui, quàm possit non-
dum renatus baptizari sine aqua: est enim
hactenus communis omnium Catholico-
rum sententia, Confessionem & absolutio-
nem ad essentiam huius Sacramenti requi-
ri, vt testatur Vega in Trid. lib. 13. c. 15.
Cum verò soleat contra communem om-
nium sine claro fundamento opinio dici te-
meraria; nunc quomodo vocetur probabi-
lis à quibusdam, ipsi viderint. Sanè non
confitentes Presbytero, vt in Leone vidi-
mus, reseruati sunt iustitiæ Dei: Deo enim
in

in corde suo confiteri potuerunt, homine ignorante; cuius ministerij medicina, quod ignorat, non curat. Sicut enim confitentes sibi Deus per se curat, ita quos per Sacerdotes curare voluit, etiam Sacerdotibus voluit confiteri. At, inquit, confitentur habitu, quia Catholici sunt, & præsumuntur merito habitualement saltem confitendi habere voluntatem. Respondeo: Habitualis istiusmodi Confessio ad Sacramentum non sufficit, quia Florentinum & Tridentinum Concilium actus pœnitentis ponunt pro materia huius Sacramenti: oportet ergo Confessionem esse actualem, saltem in nutu aut vocatione Confessarij, & expressio exterioris desiderio habendi Sacerdotem: nam qui vocat medicum, agnoscit & confitetur morbum. Rursus opponunt, Concilia allegata non dicere actus pœnitentis esse huius Sacramenti materiam, sed quasi materiam. Respondeo, aduertendum esse, quod non dicant Concilia hos actus pœnitentis esse quasi partes materiales Sacramenti Pœnitentiæ; verè enim sunt partes eius, vt Tridentinum docet; sed dicunt esse quasi materiam ipsius Sacramenti, non quod verè materia non sint eo modo quo in hoc Sacramento est materia, sed quod non sint materia ita vsitate; quomodo propriè de materia

K

stabi-

stabiliori rerum naturalium vel artificialium loqui solemus. Illo enim permanenti modo manifestum est, non necessariò se habere materiam omnem Sacramentalem, quamuis propiùs accedat materia Baptismi & Confirmationis, quorum Sacramentorum materiæ, vt obseruat D. Thomas Suppl. q. 9. art. 3. etiam hoc differunt à materia huius Sacramenti, quòd omnino sint ab exteriori, & nobis ab alio exhibeantur, sed actus Confessionis sit ab intra & à nobis. Ceterùm, vt de aliis actibus dissimulemus, Confessio est materia omnino essentialis & necessaria in hoc Sacramento. Sicuti enim Chrisma idèd intelligitur esse necessaria materia Confirmationis, quia in forma exprimitur, cùm dicitur, Confirmo te chrismate salutis: ita dum dicitur, Absoluo te à peccatis tuis, significatur Confessio esse materia huius Sacramenti; quia absolutio ista intelligitur iudicialis, quæ supponat accusationem aliquam peccatorum, adeoque confessionem; cùm in hoc foro certum sit, oportere reum semetipsum accusare, si solui aut absolui à Sacerdote Christi vices gerente velit.

Illud denique aduertat Lector, quo præiudicio disciplinæ Ecclesiasticæ noua illa opinio vocetur probabilis, cùm versetur circa

arti-

articulum necessitatis, in quo etiam probabilem opinionem practicandam ex præcepto charitatis facile sustinebunt: atque ita inuentus est modus, quo quilibet Catholicus, quâcumvis impœnitens adulter, usurarius, raptor, fornicarius, ebriosus, ex præsumptione habitualis voluntatis pœnitendi Sacramentaliter in exitu absoluat, nihil confitens, nihil saxe pœnitentiæ significans. Inuentus etiam est modus, secundum quem omnia Rituaria & omnia Pastoralia, & sacri Canones debeant corrigi, quæ manifestis & publicis peccatoribus sine pœnitentia mortuis sepulturam negant Ecclesiasticam.

Ex dictis colligimus, in casu infirmitatis ac necessitatis reperiri Confessionem quæ ad absolutionem tunc sufficiat, ita generalem & imperfectam, ut in ea non sit locus Sigillo. In extrema enim illa necessitate acceptatur pro integra Confessione, quæ ita imperfecta est, ut in particulari nihil celandum prodatur; sicuti nihil celandum Sigillo prodit, qui publicè declarat se petere Confessarium, cui sua peccata confiteatur. An autem etiam quando quis fuit manifestè criminofus, sufficiat aliquo modo vocasse Sacerdotem, ut extra se positus, loquela & usu rationis destitutus, absolui Sacramentaliter possit; an verò tunc requiratur, ut pluribus

ribus verbis coram idoneis testibus contestatus sit, se in omnibus velle obedire & satisfacere Ecclesiæ, vt videtur S. Antoninus subindicare in suo Confessionali cap. 17. rursum an talis imperfecta Confessio per petitionem Sacerdotis etiam in publico hæretico in extremis constituto sufficiat ad eum absoluendum, ita vt extra rationis sum absolutus etiam sepultura Ecclesiastica sit honorandus, alterius instituti non parua quæstio est. Nihilominus existimauerim, quando seriò putatur expetitus ab eo Confessarius, saltem in foro animæ absolutione in mortis articulo, tali siue publico hæretico, siue alteri publico peccatori, voce aut etiam sensu destituto, non esse negandam. In foro autem externo, pro disciplina seruanda, an exercenda sit circa tales aliqua maior seueritas, Ecclesiæ iudicio relinquimus. Ceterum, sicut quidam nimis sunt rigidi in admittenda actuali Confessione ægri pro integra & sufficiente, ita apud infirmos quidam nimis sunt laxi in admittenda Confessione mutilata pro formaliter integra. Quidam enim Sacerdotes, vt ex querelis diuersis comperi, apud ægros quos non lubet diu audire, abrumpunt auditionem Confessionis, dicentes satis esse quòd iam dicta audiuerint, & infirmum alioqui potentem

& pe-

& petentem pergere, etiam quando nullum periculum contagij sibi inde imminet, sic imperfectè confessum absoluunt. Existimo quidem talem infirmum verè à peccatis absolui, posito quòd hunc solum habeat Sacerdotem, qui non nisi imperfectè audire voluit ipsum confitentem: quamuis enim non integrè auditus, formaliter tamen est integrè confessus, non id faciente necessitate à Sacerdote inuenta, sed per Sacerdotis malitiam iniecta. Itaque talis æger integrè censetur confessus, quia quantum potuit, confessus est. Sacerdos nihilominus grauitè peccat, & seipsum inquinat alterum mundans; sicut aqua quæ impurum lauat & mundat linteum, seipsam sordidat.

At quid dicendum de illis Confessariis, qui sæpè visentes ægros adhuc idoneos ad integrè per loquelam confitendum, interrogant an doleant de peccatis, & an petant absolui; quibus annuentibus impendunt Sacramentalem absolutionem. Respondeo, quando hoc citra necessitatem fit, sed solum ne debeant aliqui egredi cubiculo qui egredi possunt, aut simili pretextu, non solum id malè fieri, sed etiam irritam esse eiusmodi absolutionem, quia etiam formaliter est mutila Confessio. Imò neque in fine vitæ Sacramentaliter absoluendus est quis

150 IO. MALDERI TRACTATVS
virtute talis mutilæ siue imperfectæ forma-
liter Confessionis, qui cùm adhuc sensu &
loquela polleret, Parocho dixit hæc sola ver-
ba: Doleo de peccatis meis, quæso ab illo
me absolue in fine vitæ meæ. Cùm enim
potuerit integrè & speciatim peccata sua Sa-
cramentaliter confiteri, id neglexit, sed mu-
tilatè solùm & generatim est confessus.

At quæres, Quare quilibet fidelis non po-
test Sacramentaliter absolui, repetendo ab-
solutionem super Cõfessione quam vltimò
fecit, præsertim si eidem Sacerdoti sit con-
fessus, & ab eo absolutus. Respondeo: Quia
in nullo Sacramento potest forma cadere
sæpiùs super eadem materia proxima, sicut
non potest eadem hostia consecrata iterùm
cõsecrari. Ita post Medinam Suarez Tom. 4.
disp. 18. sectione 1. num. 7.

CAPVT XVI.

*An celanda etiam illa quæ de aliorum pec-
catis pœnitens in Confessione aperit.*

CONTINGIT frequenter à simplicio-
ribus pœnitentibus aliorum peccata a-
periri in Confessione, idque sine necessitate
vlla. Frequenter etiam id contingit culpâ
Confessariorum, qui tales monere deberent
non esse Confessionem officinam detractio-
num,

num, sed humilem sui ipsius accusationem. Reprehendendi, qui secundum veterem hominem querendo excusationem in peccatis, peccatorum suorum instituunt Confessionem, & non simpliciter dicunt, Comedi de ligno vetito; sed aliorum peccato inuoluentes suum, & quasi excusantes, dicunt, *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Offerunt isti non vitulum labiorum suorum Domino, sed vulpem, dum peccatum suum excusant per aliorum peccata, ut obseruat Innocentius III. *Serm. 1. in consecratione Pontificis. Disputat D. Bonaventura in 4. d. 21. vtrum in Confessione liceat alterius peccata referre; multumque improbat, si in excusationem sui aliorum peccata sine alia necessitate referantur; meritoque monet, Confessarios debere tales corripere, cum aliena peccata non sint in Confessione dicenda, nisi quatenus sunt propria. Et reprehendens Confessarios talia libenter audientes, aut etiam inquirentes, inter alia dicit: Confessores qui rumculos in Confessionibus inquirunt, & audiunt de aliis malum, & sustinent; vix autem numquam a peccato detractionis excusari possunt, & nesciunt mederi animabus, dum patiuntur eos qui veniunt ad medicinam, alios accusando sibi infligere vulnus graue.* Neque

vulpem offerunt, qui se in Confessione per aliorum peccata excusant.

enim est eadem ratio in proposito quæ est Confessionis quæ fit soli Deo; vbi etiam parentum aut populi peccata confiteri licet, exemplo Sanctorum: Dan. 9. Nehemias. in Confessione enim Sacramentali neminem debet pœnitens cum detectione personæ accusare, nisi seipsum. Contritio itaque & satisfactio etiam ad aliena peccata se extendunt, de quibus dolemus, & quibus delendis quoad pœnam satisfactiones aut satisfactoria nostra opera applicamus; sed Confessio similiter ex charitate non fit de peccatis alienis. Cùm enim pœnitens non teneatur proprium nomen Confessori suo dicere; æquum est, vt nec teneatur nec possit in alienæ famæ præiudicium, cuius non est dominus, tertij nomen indicare, cum eius infamia non perinde ipsi aliquo spirituali bono compensetur, ac pœnitenti compensaretur propriæ famæ detrimentum. Adde, quòd odiosius sit Confessioni, si per eam prodatur tertia persona, quam si oporteat suam quemque dum confitetur nominatim aperire personam.

Aliena peccata detecta in Confessione, Sacerdos celare debet.

Quæritur, an ita facta Confessione vt etiam alterius peccatum simul sit narratum, illud sub Sigillum cadat. De peccato complicitis sequenti Capite dicam. Nunc de aliis inquirimus, quæ vel per modum querelæ,

vel

vel alia occasione, vel ex solo studio ea narrandi in Confessione deteguntur. Vbi in primis non potest esse dubium, quin Sigillo comprehendantur omnia aliorum peccata, quæ ita cum suo peccato pœnitens exprimit, vt connexionem aliquam cum illo habeant, ob quam putauit ea esse narranda. Exempli causa: Adultera narrat se malè à marito fuisse exceptam, ideoque in adulterium lapsam esse: non est dubium quin peccatum mariti Sigillo contineatur. Si verò omnino concomitanter narrata sint, sciat Sacerdos malè se fecisse eiusmodi narrationem admittendo, peius autem facturum imprudenter & sine magna causa de illis postea loquendo: quamuis enim sub Sigillum non cadant, naturali tamen Secreto continentur, eo etiam accedente, quòd eorum reuelatio redundaret in odium Confessionis & scandalum; præsertim cum procliuè sit hominibus suspicari, non nisi ad Confessionem pertinentia in Confessione esse dicta, & fortè iam rescitum sit, tempore Confessionis talia dicta esse Sacerdoti. Ad do, ne quidem ex consensu pœnitentis posse Confessorem illa aliorum peccata secreta in Cõfessione detecta reuelare, cum pœnitens non sit dominus famæ sui proximi. Imò consensu suo non faceret, vt odium,

K s quod

quod Sacramento conflatur ex hac reuelatione, omnino cessaret; sicuti fit quando in proprij peccati reuelationem consentit. Ad hæc si concomitanter se habet peccatum proximi in tua Confessione, ita vt Sacerdoti illud æquè liceat reuelare, ac si extra Confessionem detexisses, non est quòd Secreti causa Confessionem obtendas, quasi, vt ipse corripitur, secretò reuelans. Si minùs liceat reuelare in Confessione quàm extra eam auditum, ineptum mediũ sumis ad corripiendum proximum, relicto aptiori, quando in Confessione aperis eius peccatum.

Correptioni inutilis est reuelatio peccati alterius in Confessione.

Denique cum, prò dolor! non desint Sacerdotes impij; quàm erit absurdum, si Sacerdos aliquem denigrans dicere possit sibi in Confessione ab altero quodam eiusmodi peccatum eius esse detectum? Consideratione dignum, quàm grauius hoc genere detractionis peccetur. Cum enim, vt infra videbimus, aliquando etiam cum detrimento integritatis Confessionis liceat, imò oporteat filere peccatum alterius, ne ipse detrimentum patiat, quàm longissimè à charitatis regula declinant, qui etiam cum Sacramenti sacrilega violatione, proximorum peccata narrant sine necessitate, in Confessione.

Docendi potius sunt pœnitentes à Confessione

fessariis, quando non mutat speciem, aut
 non multum aggrauat, tacendam esse cul-
 pam proximi. Quando autem mutat spe- *Quomodo*
 ciem, aut multum aggrauat, generatim qui- *proximi*
 dem dicendum cum quali persona pecca- *peccatum*
 uerint, sed non esse detegendam particula- *rectè sit*
 rem personam, circa quam peccatum est. *memoran-*
 Ne dicat, exempli causa, confitens, Detraxi *dum confi-*
 Petro, detegendo eius adulterium occultum *tenti.*
 cum Paula; sed, Detraxi cuidam viro de
 adulterio occulto: alioqui detrahit de nouo,
 confitendo detractionem; & talem audiens
 sine reprehensione, particeps fit damnatio-
 nis, communicans peccatis alienis. Confes- *Non fiunt*
 sarij etiam non moneant pœnitentes, vt vi- *monitiones*
 tent personas quarum peccata audiuerunt *aliis etiam*
 narrari per modum querelæ, aut aliter à *ex concomi-*
 prioribus confitentibus in ipsa Confessio- *tanter so-*
 ne. Præstat extra Confessionem hauriri e- *lum narra-*
 iusmodi notitiam, & ea ad cautelam alio- *ris in Con-*
 rum vti, ne talibus grauetur Confessio. *fessione.*

Quæres, an ergo secretum peccatum Pe-
 tri non liceat Paulo in Confessione Confes-
 sario Petri reuelare, vt eius saluti melius
 consulat. Respondeo: Rectè dicit Adrianus
 in 4. consilia intelligi saluis præceptis. Cum
 itaque hoc secretum naturale ex præcepto
 teneatur Paulus seruare, non benè facit con-
 silio iuuandi Petrum illud prodendo, quan-
 do

do tantum quædam id suadet utilitas sine necessitate. Salutaris etiam est regula, non oportere nec posse Confessarium à pœnitente exigere, quod ipse pœnitens non tenetur præstare. Non ergo petat in Confessione detectionem tertiæ personæ, quæ hoc aut illud peccatum admisit, suasit aut procuravit: & etiamsi fortè iam à pœnitente detecta sit, non petat consensum eam ulterius extra Confessionem reuelandi; non enim tenetur eum pœnitens dare: & etiam tali licentia obtenta (quam fortè putauit se debere concedere confitens) non potest Confessor vii, vt dicemus Capite sequenti.

CAPVT XVII.

An complicitis peccatum cadat sub Sigillum.

NON hîc propriè inquiritur, an complicem teneatur pœnitens in Confessione exprimere; sed solum, an quando expressit, Sacerdos teneatur tamquam Secretum Confessionis illud celare. Duo tamen hîc ad propositum nostrum præmitti possunt dubia. Vnum illud ipsum, an possit, aut etiam teneatur pœnitens complicem reuelare in Confessione. Alterum, an quando confitens est Sacerdos, & peccatum audiendo

diendo Confessionem est admissum, teneatur illud cum detectione peccati eius, à quo fortè indebitè absoluit, detegere. v. g. Audiuit simoniacum, & simonia erat Superiori referuata, an possit confiteri se à simonia absoluendo potestatem suam excessisse, si id fieri non possit quin Confessarius veniat in notitiam aut suspicionem, quisnam fuerit iste simoniacus.

Ad prius quod attinet, sunt tres sententiae. Vna dicit absolutè, posse & teneri peccantem reuelare complicem in Confessione, quando ratione complicitis noua species & malitia distincta exurgit in peccato. Ita tenet Gerson Alphabeto 41. litera F. circa finem: citatur etiam pro ipsa Bernardus in Formula honestæ vitæ: *De nullo prorsus sinistra loquaris, quantumcumque sit verum vel manifestum, nisi in Confessione, & hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.* Verùm rectè monuit Bellarminus, non esse hunc Tractatum D. Bernardi. Tenet apertè cum prima hac sententia Paludanus in 4. d. 21. q. 3. art. 2. conc. 2. Sà v. Confessio, num. 18.

Secunda est sententia, debere in Confessione complicem explicari, quando integritas Confessionis id requirit: sed si inde infamaretur apud hunc, esse prius tentandum
num

*De complicitis
reuelatione
in Confessione
tres sententiae.*

num alteri ignoto possit confiteri; aut num huic, ignoto habitu aut mutata voce, ita ut non veniat in notitiam Confessarij confitens aut complex. Itaq; reuelationem complicis non nisi omnibus remedijs alijs tentatis permittit, vtpote quando non potest confitens esse ignotus Confessario, aut alio modo non potest ista complicis circumstantia explicari, quò non veniat in notitiam Confessarij in particulari eius persona: ideoque si reperiri possit alius Sacerdos, cui vel persona complicis, vel etiam ipsius confitentis sit ignota, dicit eum esse adeundum. Ita tenet Suarez; qui tamen putat non opus esse adire alium Confessarium ignotum, quando id molestum esset, & esset in præcepto Confessio ratione Communionis Paschalis, aut ratione aliqua alia. Idem tenet Vasques q. 91. art. 2. dub. 3.

Tertia sententia absolutè negat posse peccitentem explicare complicem, quado persona eius in particulari innotesceret Confessario, & apud Confessarium infamaretur, etiamsi alteri confiteri non possit. Fatetur tamen esse complicem reuelandum apud ignotum Sacerdotem, exigente id integritate Confessionis. Ita tenet Nauarrus Ench. cap. 7. num. 1. & sequētibus, & in Cap. Consideret, de Pœnitentia, d. 5. Tenet idem Innocen-

nocentius in c. Omnis, de Pœnitentiis & remissionibus: Marfilus, Armilla, Hostiensis, Viguerius, Canus, citati apud Suarem disp. 34. sect. 2. Tomo 4. in tertiam Partem. Bañes 2. 2. q. 23. art. 8. Fauet etiam Caietanus in Summula, verbo Confessio, conditione 3. & 10. quamuis obscure loquatur & ambigùe de famæ alienæ læsione, ita vt Lectorem teneat suspensum, an intelligat læsionem quam facit confitendo pœnitens, an illam quam timetur facturus Confessarius.

Hæc sententia est probabilis. Integritas enim Confessionis solet interdum excusari Probatur sententia Nauarri. grauibus de causis; vtpote si Sacerdos complici sit nociturus: tunc enim, vt omnes fatentur, non potest pœnitens exprimere complicem. His autem causis videtur annumeranda ea læsio famæ, quam apud Confessarium complicitis persona incurrit: est enim ea grauis, & omnino talis, vt extra Confessionem sit detractio mortalis culpæ, narratio illa peccati complicitis. Secundò, quæ reddunt odiosam Confessionem, non sunt facienda in fauorem Confessionis: tale quid autem est explicatio complicitis cum læsione famæ eius. Tertiò, Christus non instituit legem positiuam de integrè confitendo contrariam legi naturæ de non lædenda fama proximi

160 IO. MALDERI TRACTATVS
proximi per detractionem. Quarto, non
peccat contra integritatem Confessionis,
qui iusta de causa subticet circumstantiam
sibi aut alteri nocituram si reueletur huic
Confessario, qui fortè complicem prodeat,
aut ei in spiritualibus vel temporalibus no-
cebit, modò alias peccati sui speciem & gra-
uitatem vt potest explicet, & paratus sit me-
liore opportunitate, cessante hoc impedi-
mento, huic vel alteri Sacerdoti minus no-
ro, & personarum, de quibus agitur, minus
gnaro, circumstantiam istam aperire, & da-
ta eiusmodi facultate aperiat, vt fatentur
Doctores alioqui alterius sententiæ. Neque
enim satis ostenditur, quare non sit iusta
causa tacendi complicem iactura illa famæ
quam ipse incurreret apud Confessarium,
quam iacturam etiam bona pecuniæ summa
libenter redimeret. Confirmatur à simili,
quia pœnitens non tenetur confiteri per in-
terpretem, ideò quia vt confiteatur, non te-
netur infamiam apud interpretem, quan-
tumuis Secreti tenacem, incurrere. Eadem
ratione videtur pœnitens excusari à reuela-
tione complicitis, imò potiori, cum suæ famæ
sit dominus, non complicitis, & ipse multum
spiritualis boni per Confessionem sibi con-
quirat, non autem complex.

Itaque hæc sententia præualet pondere
ratio-

rationum & intrinsecorum argumentorum, quamvis contraria sit communior: quod satis ipse Vasques videtur fateri; qui cum huius sententiæ rationes commendat, in alteram tamen sententiam aliorum auctoritate trahitur. Cuius apud Victoriam potissimum duo sunt fundamenta: Vnum, quod præceptum de integritate Confessionis sit maius quam præceptum de conseruanda fama proximi, quando vrimur iure nostro. Alterum, quod hæc non sit propriè diffamatio, eò quod Sacerdos teneatur Secreto. Verumtamen, vt verum fatear, eiusmodi argumenta parum firma sunt. Confessio enim, siue secretò fiat siue publicè, eiusdem est naturæ, quando Sacramentalis est; Sacramentorum autem materiæ à Christo Domino sunt determinatæ. Certum autem est, quod integritas Confessionis non obtineret, dum publicè fit, complicem detegi, ne inde turbæ excitentur: quales Constantinopoli sub Nectario excitatæ sunt per mulierem, quæ publicè fassa est se in Ecclesia cum Diacono peccasse.

Quomodo igitur ex Christi instituto integritatem eius, quæ communis est etiam publicæ Confessionis, dicant seruandam cum infamia complicitis, nondum video.

Si dicas, parua cum infamia eius fieri posse;

L non

non cum magna; quomodo Canus dicit puellam posse complicem detegere & non detegi ab ipso, eò quòd infamia ex fornicatione feminæ sit maior: oppono, magnum & paruum posse quidem imparitatem peccati adducere; sed quomodo, cum magna infamia sit grandis culpæ, minor sit non culpæ saltem minoris, nondum capio: præsertim cum proportione seruata, videatur, ubi in usu esset Confessio publica, æquè sibi debere imputare complex, quòd publicè solum peccatum detegatur, ac quòd secretè tantum, quando Confessio secretè tantum fieri solet. Ceterum non est etiam solida distinctio alia Cani, qui permittit in mortis articulo maiorem libertatem detegendi complicem, quàm extra eiusmodi periculum. Si enim sit læsio proximi, & abstinere ab ea possis, imò debeas, confitendo dum sanus es, teneris etiam moribundus; præsertim cum nihil inde solatij habeas, satis certus tutò omitti eiusmodi reuelationem complicitis.

Verum aliter defendit hanc sententiam Suarez, qui dicit non esse infamiam complicitis, vt integrè confitearis eius personam detegere: esse enim solùm detractionem materialem, cum ius habeas integrè peccatum tuum te ipsum accusando in foro

Pœni.

Pœnitentiæ explicandi, non obstante famæ aliqua læsione in complice.

Omnibus expensis, tandem resoluo, communem sententiam esse retinendam tamquam satis probabilem, donec Ecclesia aliter non statuerit, cuius in omnibus saluum sit iudicium: ita tamen eam teneo limitatam, sicut limitant citati in secunda Sententia; nimirum ut tum demum sit explicandus complex Sacerdoti cui notus est, quando non inuenitur cui notus non sit. Secundò, limito cum Bonaventura, etiamsi complex variet speciem, aut multum grauet, fieri posse ut teneatur pœnitens abstinere à particulariori eius expressione, sed solum possit dicere, Peccaui cum quodam cognato meo, &c. quæ limitatio est communis. Addit Maior, eum qui cum sorore peccauit, & plures habet sorores, posse defungi dicendo, quòd cognouerit consanguineam in primo gradu; si tamen sit coniugata, etiam hoc exprimendum esse. Limito Tertio, non esse hanc sententiam communem practicandam in complice materiali; puta in illa persona, quæ socia quidem facti, sed criminis non fuit: multò minus in ea persona quæ tantum fuit obiectum peccati. Ratio est, quia in talibus non æquè utitur pœnitens iure suo. Rem istam breuiter com-

*Præfertur
sententia
cōmuniō.*

prehendit Synodus Leodiensis, celebrata anno Domini millesimo quadringentesimo quinto, his verbis: *Item inhihemus Sacerdotibus statuendo & omnibus Confessoribus, ne à confitentibus nomina illorum cum quibus peccauerunt inquirant, vel circumstantias per quas possint nomina eorum designari. Quod si fecerint, ab officio audiendi Confessiones nouerint se ipso facto esse suspensos. Et Sacerdotes primò inhibeant confitentibus, ne nomina illorum cum quibus peccauerint exprimant, nisi fortè inueniantur deliquisse cum patre spirituali, vel carnali, aut aliquo casu sine quo non posset plenè confiteri. Et tunc confitens non dicat proprium nomen illius cum quo peccauit; sed in genere dicat, Peccaui cum Sacerdote, Clerico, Monacho, Monacha, & similibus. Rectè in eamdem sententiam scribit D. Thomas in Opusculis, Responsione ad Lectorem Bisantinum ad q.6. his verbis: Si speciem peccati exprimere non possit, nisi exprimendo personam cum qua peccauit, puta si cum sorore concubuit; necesse est, ut exprimendo peccati speciem, exprimat personam. Sed si fieri potest, debet querere talem Confessorem, qui personam sororis penitus non cognoscat.*

Sententia ergo D. Thomæ est, ad nullum alium finem in Confessione esse reuelandum

dum complicem, nisi ut explicetur propriū
 peccatum; neque sufficere, quòd eo fine
 complicem reueles, ut excuseris, nisi quan-
 do aliter explicare proprium peccatum non
 potes nisi sic nominando complicem, ut
 persona eius innotescat Confessario. Sentit
 ergo, quando alius adiri potest, non posse
 reuelari apud eum qui personæ habeat aut
 facile habere possit notitiam. Vnde colli-
 go, etiam quando Confessarius non nouit
 complicem, non esse eum nominandum, si
 id non requirat peccati proprii explicatio.
 Quando autem nouit, ne quidem esse no-
 minandum, etiam si explicatio proprii pec-
 cati hoc requirat, sed alium esse adeundum
 qui non nouerit; quod cum hodie facile sit,
 semper est practicandum. Quare autem si-
 ne necessitate complex non sit reuelandus,
 ratio D. Thomæ est, Prima, quia læderetur
 fama eius: Secunda, quia denuntiandi pec-
 catum forma est præscripta Matth. 18. con-
 tra quam agere non licet. Tertia, quia li-
 cet confitenti oporteat credere pro & con-
 tra se, tamen contra alium non est ei cre-
 dendum in Confessione, ne detur occasio
 fictæ Confessionis & fraudulentæ infama-
 tionis. Videretur D. Thomas excipere casum
 quo concurreret simul correctionis ordo à
 Domino institutus; sed dubiè loquitur, &

reuerà non videtur facile posse dari casus, quo in Confessione pro correctione, serua-
to ordine à Christo præscripto, reuelandus
sit complex, vt infra dicemus. Hæc ergo
sententia in praxi secura est.

Dices: Nauarrus videtur solidè ostende-
re suam esse tenendam, relicta communi,
eò quòd nitatur fundamento ex textu & ra-
tione petito, cui responderi non potest ab
iis qui communem sequuntur. Respondeo,
verum esse, quòd opinio fundata in ratione
vèl textu, ad quem responderi non potest,
fit præferenda opinioni communi, quando
manemus in illis quæ sunt Iuris naturalis
tantùm: quando autem agitur de Iure di-
uino positiuo, contingit interdum præfe-
rendam esse communem opinionem illi
quæ pro se habet rationem naturalem, cui
ex principiis naturalibus responderi clarè
non potest. Communis enim opinio magis
censetur niti traditione, ex qua rem istam
haurire oporteat. In proposito autem sentio
etiam in sententia Nauarri concedendum,
potuisse Christum Dominum statuere, vt
quando aliter tuum crimen explicare non
potes, possis exprimere complicem. Si po-
tuerit ita statuere, communis opinio effi-
cit, vt præsumptio apud nos meritò praua-
leat, ipsum ita instituisse. Itaque in re Sa-
cramen-

cramentaria, quæ Diuinæ institutionis est, meritò eam sequimur tamquam iudicem, quid statuerit Deus; qui cùm sit Dominus vniuersorum, potuit de fama complicitis statuere quod placuit.

Alterum nostrum dubium de Sacerdote, qui non rectè absoluit à simonia, an possit illud confiteri exprimendo simoniam, si eâ expressâ Confessarius resciscet quisnam fuerit iste simoniacus: aut de Sacerdote, qui tantùm duos secum habet Sacerdotes, quorum vnum malè absoluit ab irregularitate, an possit tertio illud suum peccatum fateri prodendo sibi confessum. Dominicus Soto, quamuis subdubius, probabilius putat posse, adeoque debere confitendo exprimere. ita in 4. d. 18. q. 4. art. 5. & de Secreto, membro 3. q. 4. Idem docuerat Gabriel in 4. d. 21. q. 1. art. 3. dub. 1. casu 5. Sed contraria opinio, quæ negat posse, est communis Doctorum, & vera: obligatio enim Sigilli est maior, quàm integritatis materialis Confessionis: Sigilli enim obligatio, vt patet ex dictis, est Iuris diuini positiui, Sacramentalis & naturalis: integrè autem confiteri occultissima peccata, est Iuris diuini merè positiui, vt obseruat & vrget Maior ad hoc propositum, estque affirmatiui præcepti, & multis aliis modis contingit non obligare.

*Nō est pro-
denda Con-
fessio, ut
rectē confi-
tearis.*

Iubemur enim integrè confiteri, quatenus est moraliter possibile; non reuelare autem Confessionem vlllo casu. ita Petrus Ledesma de Pœnitentia, cap. 22. Nugnus in Supplementum q. 11. art. 1. Nauarrus c. 8. Enchiridij, Suarez disp. 33. sect. 1, n. 18. Vasques q. 94. art. 4. dub. 4. qui pro eadem sententia citat Richardum, Paludanū, Scotum, Siluestrum. Assentit etiā Henriques lib. 3. de Pœnitentia c. 19. n. 5. Estius in 4. d. 17. §. 14. Gabriel in 4. d. 21. Toletus lib. 3. c. 16. idem tenent Siluius & Adrianus in 4. Melchior Canus de Pœnitentia p. 5.

Dices: Ideò institutum est Sigillum, ut homines integrè confiteantur; ergo magis oportet integrè confiteri, quàm seruare Sigillum. Antecedens patet, quia rectē communis sententia dicit, ideò Secretum istud obligare, ne homines ab integrè faciendâ Confessione deterreantur. Sequela est euidentis per maximam, Propter quod vnumquodque tale, ipsum magis est tale. Respondeo, sequelam non esse firmam, quia quando violaretur Sigillum hîc & nunc propter integritatem Confessionis huius Sacerdotis, esset occasio pluribus aliis hominibus non confitendi integrè, si scirent etiam per Confessiones Cōfessariorum posse notitiam suorum peccatorum hac ratione propagari.

Contra-

Contrarium igitur aduersæ opinioni argumentum potius habemus, ex eo quòd Sigillum conducatur integritati & libertati Confessionis. Obseruo tamè, non malè ab Adriano annotari, quòd talis debeat peccatum suum fateri eo modo quo potest, sine prodicione auditæ à se Confessionis, confitendo in genere quòd indiscretè & perperam Sacramentum absolutionis impendit. Vbi etiam illud aduerto, cuius & suprà monui, non esse eandem rationem complicitis, & eius qui potius obiectum fuit peccati: in proposito autem ille irregularis non fuit complex in mala absolutione, sed obiectum circa quod malè absoluens peccauit.

*Confessarius
confitendo
fateatur se
malè ab-
soluisse non
dicendo
quem.*

His præmissis, videamus quid dicendum de proposito nostro principali, vtrum sub Sigillum cadat peccatum complicitis à pœnitente detectum. Certissimum est Sigillo comprehendi, siue fuerit ex iusta necessitate detectum, quod licere, ex communi sententia diximus; siue peccatum fuerit in ipsa detectione, vtpote quia non erat necessaria absolutè ad explicandum proprium peccatum; vel licet esset necessaria, adiri poterat alius Sacerdos non noscens complicem, quod hodie propter priuilegia Religiosorum est facillimum. Itaque non necessariò detectus, est necessariò celandus. Responsio nostra est

*Complicitis
peccatum
celandum.*

communis sententia omnium. Tenet eam Suarez disp. 34. sect. 3. Vāsques q. 93. art. 4. dub. 5. Adrianus in 4. Petrus Ledesma de Pœnitentia, cap. 22. Bañes suprâ, Nugnus in Supplementum q. 11. art. 2. Astipulatur Concilium Leodiense celebratū anno 1449. cuius verba Capitulo quarto ita habent: *In Confessione caueant Sacerdotes, quòd si confitentes nomina eorum indicauerint cum quibus peccauerint, secretum teneant sicut confitentis peccatum.* Ratio est, quia ex reuelato peccato complicitis adeò magna sequuntur incommoda in odium Confessionis, vt quando reuelatio timeretur, non teneretur complicem pœnitens exprimere, vt patet ex dictis. Deinde, complices sint Titius & Liuia, & vterque fateatur peccatum suum vni & eidem Sacerdoti; nisi complex sit sigillatus, poterit Titio ex confessione Liuiæ, & Liuiæ ex confessione Titij Sacerdos obiicere peccatum suum. Adde, quòd apud alios etiam via facilè sternatur ad reuelandum peccatum confitentis, si complicitis peccatum per Sacerdotem prodatur. Deinde, vt dictum est Cap. xv. quæcumque occasione sui peccati explicandi pœnitens in Confessione dicit, cadunt sub Sigillum, etiamsi superflue addita sint. Adde ex Adriano; Sicuti ex parte Confessarij tenetur celare interpres, tamquam

quam accessorius ad excipiendum Confessionem; ita ex parte confitentis merito debet celari complex, tamquam accessorium quid faciens pro explicanda Confessione, siue benè siue malè interim complex ipse prodatur à pœnitente.

Quæres, an saltem sine vlla relatione ad confitentem possit Cōfessarius reuelare peccatum complicitis, dicendo, v. g. quòd fornicatus sit, & non addendo cum qua. Respondeo, non posse. Ita idem Adrianus. Ratio est, quia Confessio non tantùm redditur odiosa detectione peccati ipsius confitentis, sed & detectione peccati complicitis, & Secretum commissum est, non tantùm in ordine ad personam confitentis, sed etiam in ordine ad personam complicitis. Idem sentit Sotus de Tegendō secreto, membro 3. q. 4.

Quæri & istud hîc potest, an reuelans complicem incurrat in pœnam Canonis, *Pœna reuelantis complicem.* Omnis vtriusque. Attigit hoc dubium Petrus Ledesma de Pœnitentia, cap. 22. & videtur in aientem partem propendere. Dispositio enim cap. est contra eum qui reuelat peccatum in Confessione detectum. Videtur idem tenere Nugnus in Suppl. q. 11. art. 2. quod verum existimo, quando non intercessit consensus pœnitentis in reuelatione, etiam si intercessisset cōsensus complicitis.

At

*Etiam de
consensu
pœnitentis
non licet
reuelare
complicem.*

At quæres, an Sacerdos ex consensu solius pœnitentis, sine consensu complicitis, possit reuelare peccatum complicitis, quod in Confessione audiuit. Affirmat Suarez, negat Vasques; qui & illud addit, opus esse vt seorsim extra Confessionem historiam pœnitentis narret, si velit Confessario fieri licitum loqui de peccato complicitis. Verum licet factis verisimilis sit sententia Vasquij, non probo istud cõsiliũ, quasi multum expediens; quia, vt patet supra ex Cap. iv. idem ferè est, siue seorsim repetat, siue tantum in Confessione dicat, modò det licentiam reuelandi. Quòd verò dicat Vasques, requiri consensum etiam complicitis; Suarez reprehendit, tamquam ad praxin inidoneum. Si enim silentium de complice ita obliget, vt requiratur eius consensus, antequam de peccato eius loqui liceat, & facultas loquendi de illo peccato complicitis consensum postulet, numquam peti à complice poterit ille consensus.

In quæstione ista aduerto, complicitis peccatum non tegi ita ex vi Sacramenti, sicut peccatum ipsius pœnitentis; quod tegitur, vt significetur Deum tegere peccata per Confessionem remissa; sed tegitur tamquam pars accusationis huius secretissimæ, qua seipsum plenè accusare non potuit pœnitens
fine

sine accusatione aliqua complicitis. Accusatio autem ista idèd sub Secreto est seruanda, ne Confessio fiat odiosa: quamuis autem odiosam non reddat Confessionem, si pœnitentis peccatum reueletur ex ipsius consensu; manet tamen adhuc odiosa, si de consensu solius pœnitētis Sacerdos reuelet peccatum etiam complicitis: quamuis enim in necessitate vitæ possis vti equo proximi ad fugiendum hostem aut latronem, non licet tamen de equo illo tibi disponere vlteriùs. Itaque licet famæ aliquod detrimentum permissus sis à Deo facere proximo pro vita tua spirituali seruanda, non tamen licet tibi vlteriùs de fama proximi disponere, cum non sis eius dominus sicut propriæ famæ. Quatenus ergo te concernit peccatum, potes dare facultatem reuelandi ex iusta & rationabili causa; quatenus autem complicitem concernit, etiam ipsius consensus est necessarius, præsertim cum, vt nonnulli Doctores tradunt, etiam in fauorem eius obliget Sigillum. At videndum, quando videtur reuelandum complicitis peccatum, an sit necessitas dicendi hoc peccatum complicitis in Confessione esse dictum: fieri enim potest vt hoc non sit necessarium, præsertim si pœnitens extra Confessionem consilij causâ totum narret eo animo, vt liceat ad eundem

dem

dem finem eius scientia Cōfessario uti, quasi in Confessione dictum non esset. Tunc sane minor erit difficultas, quia erit tantum Secretum naturale, quod non obligabit cum graui detrimento, ita ut tunc facile contingat sufficere consensum ipsius pœnitentis, ut Suarez dixit. Si verò usus postulet, ut dicere conueniat in Confessione hoc esse detectum, aut resciturus sit complex, saltem occasione Confessionis esse suum peccatum detectum, iam vertitur præiudicium Confessionis, quæ reddetur tali reuelatione odiosa, nisi accesserit consensus complicitis, qui peti poterit, si Sacerdos dicat quamdam personam esse sibi confessam; & si ei placuerit consentire, se aliquid cum ipso tractaturum de consensu illius personæ in vtriusque utilitatem: si neget complex consensum, filebit Sacerdos; si annuat, Christianâ prudentiâ cum ipso vlteriùs aget. Similem ferè modum Doctores dicunt posse seruari, quando Sacerdos aliquid oblitus est facere, aut aliquem alium defectum in Confessione admisit, & ut eum corrigat petit licentiam loquendi de Confessione cum pœnitente ab ipso, & si annuat, petit ut velit redire ad confessionale, se enim habere aliquid ibi dicendum & supplendum. Ex dictis patet, verius esse, non licere occasione Confes-

*Quomodo
aget Sacerdos
qui in
aliquo defectu
audiendo Confessionem.*

Confessionis, præcipuè si ex tali occasione id fieri sciendum esset, procedere per obtentam veniam à pœnitente, in foro externo vel ad exemplum aliorum, ad accusationem aut punitionem complicitis, hoc enim redderet Confessionem odiosam: quamvis consequenter loquendo ad sua principia cum quibusdâ limitationibus aliter loquatur Suarez: cui etiam assentimus, si loquamur in casu in quo diximus non requiri consensum complicitis ad reuelationem sui peccati; præsertim quando nullo modo poterit resciri id fieri ex Confessione. Unde patet, non licere Prælato, cum consensu confitentis, ex scientia ex Confessione accepta, procedere ad depositionem complicitis, qui officio suo abusus fuerit peccando cum pœnitente, nisi fortè pœnitens querelam extra Confessionem repetat, & nullo modo vel suspicio futura sit, occasione Confessionis eiusmodi depositione fieri. Quæ doctrina iuuatur per eâ quæ tradidimus supra Cap. XIII. Patet etiam, non licere Confessario, qui audiuit Petrum confitentem se peccasse cum Paula, Paulæ negare absolutionem, etiamsi non fateatur se complicem fuisse in delicto tali, sed dicat si semper castè vixisse. Potest tamè eam cautè interrogare, (vide modum apud Viualdum) non in principio, sed inter alia

*Ex Confessione cum
venia pœnitentis non
est accusandus aut
puniendus
complex.*

alia obiter, dissimulando omnino si neget, & alia occasione ad integritatem Confessionis hortando. Sanè Beia putat, Sacerdotem, si examinando Paulam, reuelet Petri Confessionem, obnoxium fore pœnis Canonis, Omnis vtriusque. ita 3. p. casu 9. Neque magnum vsum video eius quod Sà monet v. Absolutio, n. 15. prudenter & cautè de consensu alterius confitentis hunc mendacij esse coarguendum: omnibus enim periculis consideratis, verius videtur, vt dixi, potius agendum esse hîc tutissima via, & relinquendum esse suæ conscientix hunc confitentem, quando secundùm prudentiâ suam interrogâdo, vt dictum est, suo munere functus fuerit Confessarius. Accedit, quòd non sufficiat consensus pœnitentis ad reuelandum peccatum complicitis, vt diximus Item si Paula fateatur peccatum, & Petri Confessio, quæ iam præcessit, nihil tale habeat, complici Paulæ nullo modo hoc aperiatur. Si extra Confessionem sciret Confessarius omnino certò ex complice, hanc personam viuere in concubinato, non absoluat eam, nisi fateatur peccatum; ne tamen reuelet eius defectum, propter astantes dicat formam deprecatoriam. Ita Henriques lib. 3. de Pœnitentia cap. 20. num. 6.

Ceterùm non parux quæstionis est, An
Confes-

Confessarius propter correptionem fratrem
nam debeat aut possit à pœnitente extor-
quere complicem? Disputat hoc Bañes in
2.2. q. 23. art. 8. Petrus Ledesma de Pœni-
tencia cap. 22. Suarez Tomo 4. in tertiam
partem D. Thomæ disp. 34. sect. 4. & vide-
tur inter recentiores Theologos de hac re
controuersia nonnulla fuisse.

Ego duplici de causa existimo, improban-
dum esse, si Confessor extorqueat compli-
cem, vt etiam corripiat aut corripere curet.
Primò, quia fit iniuria Sacramento, quod
naturâ suâ tale Secretum postulat, quasi de-
tectio esset facta soli Deo, ad solius confi-
tentis emendationem; adeò vt non debeat
accusatio huius fori ad externum forum de-
riuari, aut ad correptionem alterius. Quare
si reuelatio complicitatis non sit necessaria ad
explicandum proprium peccatum, non po-
test Sacerdos ad vllum alium finem eam vr-
gere, præcipuè cum nec liceat pœnitenti
eam facere; & vt faciat, sicut iam supra di-
ximus, Secretum Confessarius id seruare de-
bet. Certè neque proprium nomen, vt aliàs
monuimus, tenetur pœnitens dicere; multò
minus sui complicitatis, si non aliud accedat.
Si autem est necessaria, potest pœnitens Con-
fessario complicem secundùm dicta supe-
riùs reuelare in eum finem vt se accuset, sed

M omitti

De correptione complicitatis ex Confessione.

Responsio negans.

omitti debet omnis correctio, monitio, pun-
 nitio complicitis ex hac reuelatione, quia
 hæc non est necessaria ad explicandum &
 emendandum proprium peccatum. Secun-
 dò, quia fieret etiam iniuria complicitis: quia
 etiam si meritò corripiendus sit, non est ta-
 men corripiendus nisi ordine à Christo præ-
 scripto; cui ordini repugnat ipsum corripi
 ex Confessione Sacramentali, cum ipsius
 Secretum hæctenus etiam in fauorem com-
 plicitis redundet, vt non possit ipse vllò mo-
 do prodi per illud, nisi quatenus necessarium
 est ad explicationem peccati ipsius pœnitentis.
 Quare etiam in casu quo pœnitens tene-
 tur corripere Petrum de peccato suo, non
 est conueniens medium vt Confessario suo
 reuelet peccatum Petri in illum finem, vt
 ipsius operâ fiat correptio: si enim alio mo-
 do corripere aut ad correptionem venire
 non potest, non tenetur corripere; si potest,
 tenetur illum alium modum adhibere, hoc
 relicto. Quamuis enim hic modus sit se-
 cretus, non tamen est licitus: quia in iniu-
 riam cedit Sacramenti; & quomodo sit cor-
 ripiendus proximus, alium modum Chri-
 stus constituit. Si licitus esset modus qui est
 per Confessionem; correptio ordinariè, pro
 secretiori via amplectenda, tentaretur per
 Confessionem, quod esset insigne grauamen

men
 pecca
 quàm
 ra, cl
 ne co
 licent
 te, Co
 ergo p
 uerte
 ri ad
 debes
 quò n
 fessio
 vt tei
 piend
 autem
 ad ex
 nim p
 terni
 dine;
 defici
 possit
 Bañe
 possit
 vbi i
 Conf
 poter
 lit, n
 nem

men Sacramenti. Deinde diximus supra, peccata illa secreta alterius, tam complicitis quam non complicitis, in Confessione narrata, claudi Sigillo; & quidem sic claudi, ut sine complicitis aut illius alterius peccatoris licentia, esto habeat consensum à pœnitente, Confessor ea reuelare non possit. Non ergo potest de illis Confessor corripere. Aduerte ergo Confessor, non tibi rectè reuelari ad correptionem, quia Secretum seruare debes, cum eo ipso minus possis corripere, quò magis Secreto teneris. Præterea Confessio non est instituta ut corripas alium, sed ut teipsum, si non corripiendo, aut corripiendo, aut aliter peccaueris, accuses. Quòd autem non liceat ex Confessione tertium ad exterius tribunal deferre, patet. Non enim poterit ex Confessione transiri ad exterius fori accusationem, deficiente certitudine; potest enim confitens falli aut fallere; deficiente probatione, cum pœnitens non possit in testem adduci, ut benè obseruat Bañesius: imò, ut diximus Cap. XIII. negare possit tale quid se in Confessione dixisse, ubi in maximas difficultates se coniciet Confessor, & ipse ut diffamator conueniri poterit. Et quid si pœnitens, ut maximè velit, non possit testari, quia fortè exceptionem contra eum habebit qui accusabitur;

*Non licere
accusare
complicem
ex scientia
Confessionis.*

quid aliud accedet Confessario ex eiusmodi præposterè suscepta accusatione, nisi mera confusio? & quomodo Iudici præstabitur in hoc casu iuramentum calumniæ à Sacerdote, nescio & animi quo istud peccatum reuelatur, & veritatis ipsius admissi? Quomodo hîc satisfaciet iudiciali ordini, qui requirit vt reo innotescat testis aduersarij, aut saltem, vt ipsi ea aperiantur per quæ in suspicionem testis facile veniat? Aut pœnitens detegitur, & erit sacrilegium; aut non detegitur, & erit calumnia. Quis enim non poterit quemuis calumniari & affligere, hoc surdo verberè subornati Confessarij? aut quis Confessarius volens sine onere probationis calumniari, id non poterit eo prætextu, quòd in Confessione tertij illud peccatum audierit? Absit, vt qui Dei iudicia exercent, Diuini arcani violatores hucusque admittant.

Quæres, an ergo nullus omnino casus occurrere possit, quo liceat Confessario exquirere extra Confessionem; quisnam sit complex, vt eum corripiat. Respõdet Banesius, quamuis ordinariè hoc non liceat, posse tamen occurrere casum quo liceat. Verùm ipse ita restringit eum casum, vt potius sit Metaphysicus, quàm moralis. Quis enim erit iste casus, vbi nemo præter Confessa-

rium

rium reperiri poterit qui ad corripiendum sit idoneus, & simul hoc concurret, ut inde nemo pusillorum, nemo ignorantium scandalizetur, putans Cōfessarium ex Confessione loqui? Quidquid sit de hoc casu, istud certum est, non licere pœnitenti in Confessione detegere tertiam personam delinquentem, ut fraternè vel iudicialiter à Confessario corripiatur, vel ad bonum regimen externum; quid enim si iam sit fortè emendatus qui defertur? Oporteret ergo saltem istud etiam à pœnitente priùs certò novisse: vbi & illud, an ille peccator sit exemplo perniciosus, & alia non sit via emendandi. Alioqui imprudenter hîc procedens, facilè turbat pacem in communitatibus, & inter coniunctos, ut taceam odiosum fieri Sacramentum. Deinde quàm facilè hoc maligno sæculo, si hæc fenestra pateat, continget criminatrices anus Prælato sua venialia confiteri, ut aliorum mortalia corripienda prodant? Absit iste abusus ab Ecclesia Dei. Absit & ille, ut aliquorum Religiosorum consensu Prælatus legem ferat, qua obligentur ad correctionem delinquentium singuli in Confessione non tantùm sua, sed etiam aliorum peccata referre. Imò neque probo, quòd quidam Dynastæ faciunt, qui certo tempore iurare cogunt rusticos se de-

*Venialia
propria
ideo confi-
tentes, ut
aliena mor-
talia pro-
dant, re-
prehendun-
tur.*

laturos quos nouerint damnum segetibus
intulisse, & deferentibus sic iuratis credunt,
puniuntque delatos absque alio testimonio
aut iudicio, ad vnius testimonium, omni ex-
ceptione seclusa: nam & abusus hic facile
intercurrit iuramenti. Quamuis enim in
negotio ciuili non adedò magno, liceat Prin-
cipi vel Reipubl. interdum statuere, vt ad
testimonium vnius feratur sententia; tamen
propter periculum abusuum, non conuenit
ita fieri, vt diximus 2. 2. de Iustitia & Iure
Tractatu 6. cap. 1. dub. 14.

Verùm, vt ad propositum redeamus, toto
cælo errant, qui putant per notitiam ex
Confessione sola acceptam, se posse vel Iu-
dicis vel accusatoris aut testis fori externi
adminiculum accipere. Terminatur illud
iudicium secretò in suo foro interiori cum
summo silentio. Nefas inde quidquam ef-
ferre ad forum exterius, etiamsi non pœni-
tentis iam confessi, sed alterius peccatum
concernat. Non fieret hoc sine sacrilegio
& odio Sacramenti. Cælesti æquatur hoc
iudicium, quia quod in eo solutum aut li-
gatum, tale habetur & in cælis: non itaque
inde aliquid ad humana tribunalia (quasi
eis obnoxium sit illud nostrum à quo nec
cæleste discrepat) tamquam à subordinato
tribunali transmittatur: neq; quisquam Do-
ctorum

etorum isti abufui fuffragatur; quamuis non
 negent, poffe ingruere cafum, vbi debeat
 iniungi pœnitenti, vt vel Confeffario vel al-
 teri extra Confessionem detegat compli-
 cem, ad fui peccati explicationem alioqui
 non neceffariò prodendum, vel alium pec-
 catorem, publicæ vel priuatæ neceffitatis
 caufa. A quo neque nos abhorremus: mo-
 dò id non trahatur in eam fequelam, qua
 fiat vt cum Sacramenti tam neceffarij de-
 trimento obtentæ vtilitati aliorum proui-
 deatur; quia non fatis eft extra Confessio-
 nem dici quod corrigendum fufcipitur, fed
 vti debet Sacerdos oculis antè & retrò, con-
 fiderans an fufficienti ex caufa ad hanc re-
 uelationem extra Confessionem inducat
 pœnitentem, & an nihil scandali fequetur
 ex eiusmodi inductione, reuelatione & ef-
 fectu reuelationis. Sanè fi per Confessionem
 Sacramentalem accepta notitia, ordinariè
 liceat corripere complicem aut alium ter-
 tium, non opus eft confenfu pœnitentis, vt
 fuo munere fungatur Confeffarius. Si verò
 non conuenit ita fieri, vt nos exiftimamus;
 etiam cum confenfu pœnitentis, quem for-
 tè extorfit perfuadendo licere & conueni-
 re, vt non folum in Confessione detegatur,
 fed etiam foris corripiendi licentia detur,
 nihil tale licebit; eft enim confenfus ab in-

uoluntario, per ignorantiam, extortus. Vt
 tota ista res ponatur ob oculos; Quando
 propter peccatum pendens adhuc & con-
 tinuatum per malum propositum compli-
 cis vel alterius peccatoris à pœnitente in
 Confessione detecti, putatur oportere fieri
 correptionem fraternam vel paternam (ju-
 diciali enim sola occasione Confessionis
 suscipi omni casu improbamus) oportet
 examinare, an pœnitens lege aliqua teneat-
 ur, præueniendo Confessionem ad corri-
 piendum vel accusandum istum peccato-
 rem: si enim teneatur, debet ei iniungere
 Sacerdos vt faciat, monendo ipsum offi-
 cij sui; & euident est, non opus esse alicuius
 ad hoc licentia, cum Superioris lege
 euident sit ad hoc ipsum pœnitentem te-
 neri. Quia tamen posset odium aliquod
 Confessioni inde creari, & non est necessa-
 rium sciri in Confessione fuisse monitum
 pœnitentem huius suæ obligationis, fortal-
 se expediet interdum pœnitentem eiusmodi
 casu, ita sibi incumbens onus explere,
 vt nullam faciat mentionem Confessionis.
 Si nulla lege teneatur pœnitens ad corre-
 ptionem aut denuntiationem vel accusatio-
 nem, caueat in primis Sacerdos, ne cum
 odio Confessionis ei suadeat accusationem
 in foro contentioso: imò tunc ne quidem
 corre-

correctionem fraternam aut paternam conuenienter ei suadebit in Confessione, aut statim postea; neque expedit ut ipse eam nomine poenitentis in se suscipiat, propter pericula, quæ frequenter subsunt, conflandi odium aliquod inde Sacramento. Ceterum si & istis periculis abundè caueatur, & aliter non possit fieri necessaria correptio scandalosi alicuius & adhuc continuandi valde noxij peccati, potest fraternè aut paternè Confessor talem peccatorem corripiendi onus in se suscipere; & cum venia poenitentis, qui per se deberet corripere, nisi verecundia aut quid simile obstaret, secretò eum monere, manendo in primo gradu correctionis fraternæ inter Confessorem & ipsum solum, & in omnem euentum non vltius progrediendo. Vnde colligo, non benè eos facere, qui mittunt poenitentes ad Superiorem; ut ipse, intellecto complice, eum puniat, deponendo ab officio, aut aliter in foro externo.

Quæres, an cum consensu solius complices, sine licentia confessi, possit Sacerdos cum complice loqui de suo peccato. Respondeo, nullo modo posse, quia ex consequenti in eiusmodi colloquio reuelaretur peccatum poenitentis sine eius licentia. ita Nugnus in Supplementum q. 11. art. 2.

M 5 CAPVT

Casus ubi possit Confessor complicem vel tertium ex Confessione corripere.

CAPVT XVIII.

Quid de illis dicendum quæ alios concernunt, & peccata non sunt, sed secreta; anne etiam ipsa sub Sigillum cadere censenda sint.

Quæ peccata non sunt, & alios concernunt, quomodo celanda à Confessario.

SI confitens, occasione suorum peccatorum, utpote tamquam circumstantias aut obiecta, aut quia pro sua ruditate, cum non pertineant, putat ea pertinere ad explanationem suorum peccatorum, aliqua talia secreta narret, existimant Doctores, talia etiam comprehendi Sigillo: si verò concomitanter solum in Confessione narrentur, tenetur Confessarius solum Secreto naturali, nisi forte propter scandalum, quando putarentur ad Confessionem pertinere, etiam aliquid admisceatur obligationis ipsius Sigilli. Consuli potest Suarez disp. 33. sect. 3.

Responsio continet tres partes. Primam probo, quia circumstantias comprehendi Sigillo, est communis sententia. Quod extendendum est ad alia quæcumque quæ à penitente dicuntur ad declarandum peccatum suum: sic enim demum securè etiam simplices peccata sua narrant.

Secunda pars probatur, quia illa non pertinent ad Confessionem, cum sine illis omnino

nino consistat integrâ, & hoc ipsum sciat
 pœnitens; qui etiam iis non vtitur ad expli-
 candum sua peccata, at fortè ex leuitatè
 ibi narrat, quo casu à Confessario repre-
 hendi deberet, aut consilium aliquod cir-
 ca illa petit, aut solamen, si ipsum affligant.
 Sufficit ergo seruare illa secreta naturali
 obligatione.

Tertia pars, quæ casum scandali excipit,
 est certissima; quia, vt diximus suprâ, hoc
 cederet in grauamen & odium Confessionis
 si reuelarentur: quod etiam benè obseruat
 Antoninus 3.p.t.17.c.19. §.12.

Quare in casu scandali, ne quidem pro-
 posito edicto de excommunicatione non
 reuelantis per Episcopum, videretur talia
 debere reuelare, quamuis quidam tunc pu-
 tet debere reuelare.

Ex dictis colligo, malè fecisse Confessa-
 rium, de quo Bañes 2.2. q.33. art.8. qui ex
 relatione quarumdâ facta in Confessione,
 catalogo facto mulierum lue venerea infes-
 tarum, Magistratui suggestit remedium
 esse adhibendum, ne per eiusmodi mulie-
 res viri inficiantur: magno enim odio Con-
 fessionis istud fit, quando fortè isti catalo-
 go inscriptæ falsò aliquæ deprehenduntur.

Hoc denique obseruo, eos qui secretò ac-
 cepta in Confessione scientia tantum ad li-
 citos

citios fines & licitò modo vti volunt (secundùm restrictiones positas suprà Cap. xiv.) non facile circa hanc materiam lapsuros: intentio enim proba facile eos continebit, ne peccent damnabili curiositate inquirendo & molestando confitentem super iis rebus quæ ad Confessionem legitimam necessaria non sunt. Qui enim peccant curiosè parerga ista inquirendo, ferè etiam solent sic comparata scientia abuti.

CAPVT XIX.

An rectè faciant Confessarij curiosius talia in Confessione inquirendo quæ ad peccata pœnitentis non pertinent, neque sub Sigillum cadunt, & an Pœnitentes teneantur de illis respondere.

Curiositas Confessarij reprobatur.

CERTVM est, tales Confessarios peccare profanatione quadam Sacramenti, & quia reddunt Sacramentum odiosum, retrahuntur enim homines offensi tali sacrilega curiositate à necessario isto remedio, & solent multùm scandalizari. Ad hæc, etiam si pœnitentes ipsi fortè non scandalizentur, alij tamen qui ita agi intelligunt, offenduntur: ideoque dicendum est, ne illis cooperentur, non tantùm posse, sed etiam teneri pœnitentes

nitentes non obtemperare eiusmodi interrogationibus: multò magis tenentur confidentes non ingerere talia vltro; & si ingerant, pro qualitate negotij aut monendi aut increpandi sunt à Confessarijs. Sanè non esse dissimulandos qui historias in Confessionibus suis narrant, benè monuit Henriques l. 3. de Pœnitentia c. 25. n. 4. Rectè Nauarrus in c. 1. §. Diligens, de Pœnitentia d. 6. n. 2. monuit, Confessarium non debere interrogare de fabulis aut rebus mundanis. Facit huc, quòd etiam lege ciuili caueatur, ne Iudex admittat articulos impertinentes. Vnde colligo Primò, non teneri pœnitentem etiam interroganti Sacerdoti aperire quis sit ipse, aut quis complex, quando ad peccati explicationem id non pertinet. Secundò, non teneri dicere vbi habitat, aut cui cohabitet, & similia, quando ea peccato impertinentia sunt. Imò, cùm aliquando ea ignorari debeant à Confessario, tenetur eo casu studiosè ea ipsum celare, vt aperte tradunt Doctores citati Cap. xvii. Luculentè Nauarrus in cap. Consideret, de Pœnitentia d. 5. in principio num. 97. *Non tenetur, inquit, pœnitens manifestare seipsum quis est, nisi quantum ad ea quæ sunt necessaria ad hoc Sacramentum; ad quod non est necesse scire quod nomen vel quod domicilium sit pœnitentis,*

nitentis, neque an sit coniugatus, si matrimonio non offendit; neque an sit Religiosus, si castitatem, paupertatem & obedientiam non violauit: sufficit enim Confessario, ut aliquem audire possit & absoluere, certiore esse factum à pœnitente, quòd ipse potest sibi eligere Confessarium, vel quòd habet facultatem à suo Superiore, vel quòd scit posse audiri ab eo & absolui. Quæ difficultates cessant maximè in Iubilæis, & per priuilegia Mendicantium. Caietanus v. Confessio, quando explicat conditionem qua requiritur ut sit *pura*, dicit eam vetari ne sit permixta impertinentibus ad peccata propria. Quamuis autem aliter quidam hanc conditionem explicant, ut spectet ad puram intentionem; tamen quando aliam conditionem tractant, qua requiritur ut sit *simplex*, dicunt non debere in Confessione tractari alias materias, & non esse immiscenda superflua. Imò quæ consilij aut solatij causa viderentur proponenda, potius esse post Confessionem & absolutionem tractanda, ut monuit Antoninus. Quando tamen pœnitens indigeret interrogationibus Confessarij, potest is inquirere quid exerceat, & cuius sit conditionis, nisi ex iis quæ iam fassus est id colligat. Debere enim omnino interrogatione abstinere Confessarium sentientes quosdam merito

repre-

reprehendit Gerson Alphabeto 32. lit. X.

Nihilominus etiam in illis quæ peccata pœnitentis concernunt, sed non necessariò exprimuntur, non curiosè inquirere debere Confessarium, monuit idem Gerson, quales sunt circumstantiæ non multùm aggra-

*Interrogā-
dus quan-
do & quo-
modo confi-
tens.*

uantes, nec speciem mutantes, & venialia peccata: quamuis quoad peccata ista leuia, verum sit vtiliter detegi, & de iis expediat interrogari, vt sternatur via ad interrogandum de mortalibus. Vniuersim autem interrogationes maximè necessariæ sunt circa rudiores & pueros, aut multùm verecundos; prudenter tamen & castè instituendæ.

Caueat autem Sacerdos, ne inquireat aliqua in quibus sibi temporale lucrum quærere videatur; vtpote si quærat, an diues sit pœnitens, an proles habeat, an testamentum fecerit, an pia legata fecerit, & in cuius vtilitatem, maximè si addat commendationem pro se aut aliis, & suadeat mutationem factæ dispositionis sine iusta causa. Tales partem habent cum negotiantibus in templo. Rectè cauetur Rituali Romano Pauli Quinti, *Ne Confessarij pœnitentias pecuniarias sibi ipsis applicent, aut à pœnitentibus quidquam tamquam ministerij sui præmium petant vel accipiant.* De Confessario etiam rectè S. Carolus Borromæus: *Pecunias*

*Confessor
longè à se
remoueat
auaritiæ
speciem.*

*nias vel aliquid huiusmodi pro Confessione
 audientia non petat, etiamsi occasio se pra-
 beat, ac ne signum quidem vel minimum eius
 ostendat: quin potius voce & re ipsa declaret,
 animum se prorsus abhorrentem à talibus ha-
 bere: cum pœnitenti iubebit, ut Missæ sacrifi-
 cium faciat usquam peragi, nec rectè nec obli-
 què significet quasi velit ipse celebrare, vel
 in sua Ecclesia aut Monasterio curare cele-
 brari. Idem monet faciendum, quando pœ-
 nitens vel debita incerta reddere pauperi-
 bus, vel pro votorum commutatione ali-
 quid soluere debebit. Monet etiam, ne per
 se Confessarius rem à pœnitente ablatam
 restituat; quando id fieret cum periculo
 prodendæ Confessionis: si fecerit, accipiat
 accepti lationem pœnitenti dandam. San-
 ctè Sanctus ista monuit, & sanctionibus suis
 obseruari decreuit. Conformia tradit Con-
 cilium Leodiense celebratum anno 1445.
 c. 4. *Sacerdotes Missas quas pœnitentibus in-
 iunxerint non celebrent, nèque tricenarium,
 neque annale, neque collusionem vel connen-
 tionem cum aliquo sacerdote faciant de Mis-
 sis celebrandis, &c.* Caueant etiam Confes-
 sarij, ne in custodiam suam accipiendo res
 pœnitentium suorum, suum inde lucrum
 captare videantur. Profectò ex auaritiâ ali-
 cuius in Confessario specie multum detri-
 menti*

menti accipit hoc Sacramentum: & cum omnia Sacramenta sint gratis administranda, peculiaris est ratio id faciendi in hoc Sacramento; ne tandem res eò dilabatur, vt pro grauitate & multitudine peccatorum Confessione expiatorum, maior titulo sustentationis deberi videatur eleëmofyna Sacerdoti, vt ad extremum etiam ex honorarij augmento exacto peccatorum grauitas prodatur aut impropereetur. Fœdè certè & sacrilegè ageret Parochus, si prætextu auditorum sordidorum criminum populi sui in Confessione, sibi eleëmofynas erogari commendaret in concione largiores: neque enim, vt medici corporis pro morborum quos curant grauitate stipendium exigunt, ita Sacerdoti licet, allegata lepræ spiritualis à se curatæ in populo fœditate, liberalius honorarium exigere; sed ita faciendo incidet in iudicium Giezi pueri Elisei, & lepra quam gratis non curat, ei incipiet adhærescere. Quid de illis dicam, qui non tantum se heredes scribi procurant, sed à pœnitentibus enormes donationes postmodum pœnitendas inter viuos accipiunt, vt iam magis ipsi sint domini peculij confitentium quàm ipsi pœnitentes? Non est sacra Confessione fas abuti ad eiusmodi nundinationem, quam ne seculares quidem vltro

N obla-

oblatam honestè admittant. Præcat potius Sacerdos in paupertatis studio pœnitentes, quos ad diuitiarum contemptum incitare debet. Thesaurizent potius patres spirituales suis filiis spirituales thesauros & cælestes, terrenos sibi ab iis non capent; non enim debent filij parentibus thesaurizare. Est quidem verum, oportere eum qui altari seruit de altari viuere, & de carnalibus eorum quibus laborat, eum qui spiritualia seminat, escam suam metere: sed contentus sit sufficientibus sponte oblatis Dei ministris, nullaque quarat insuper lucra, nisi animarum; sine quarum magno dispendio non est spiritualis medici φιλαργυρία: qui omnino cauere debet, ne quod contemptu diuitiarum, à se abdicat eius suasu pœnitens, ipse sibi accipere turpis lucri auiditate incipiat. Non inueniatur iniquitas ista in hereditate Iacob.

CAPVT XX.

An possit Confessarius curiosius indagare, quænam peccata apud alium pœnitens sit confessus, aut quæ ab alio Confessario dicta sint.

NEVTRVM licere, est manifestum. Prius enim grauat pœnitentem; qui non

non tenetur, eadem ritè confessa peccata, ^{Non cogat Confessor repeti alias confessa.} saltem extra Confessionem generalem, iterum confiteri: & posterius gravat priorem Confessarium, secundum ea quæ diximus supra Capite XIIII.

Excipio tamen ea quæ necessaria sunt ad explicanda peccata, de quibus nunc confiteretur. Potest enim Sacerdos, ex Confessione nunc intelligens in priori Confessione pœnitentem aliquem errorem admisisse, circa eum examinare ipsum & instruere. Quando verò gravis aliquis error esset admissus à priori Confessario, isque esset explicandus Confessario præsentem, oportet tegere nomen prioris Confessarii, & servare ea quæ de complicitate peccato tegendo aut deregendo dicta sunt. Imò planè expedit, non inquiri umquam à Confessario, neque dici à confitente ubi confiteri soleat; quia, cum vix vlla istius rei sit utilitas, posset esse noxium; quando ob aliquem defectum in Confessario observatum eum pœnitens mutasset; noxium, inquam, quia semper nocet animæ propriæ, si occasione medicinæ querendæ ex Confessione, nova vulnera accipiat ex detractatione. Parit etiam res ista diffidia inter Confessarios, quando iam vnus dicit, Ego sum Cephæ, alter, Ego sum Apollo. Sanè ex nimio illo studio acquirendi &

retinendi sibi filios Confessionis aut filias, magna subinde oritur pacis Ecclesiasticæ turbatio; vt taceam, noua peccata, eaque continua, quæ non faciliè emendentur, inde prouenire. Est enim ea Doctorum sententia omnino certa: Si quis animo ita proponat, non integrè aut omnino non confiteri, nisi vni illi cui assuevit Sacerdoti, talem esse in affectu peccati mortalis. De quo cum se non corrigat, Confessiones quas facit, non ei prodesse. Cuius ratio euidenter reddi potest: Quia qui diuinum præceptum in casu sub eo comprehenso statuit non seruare, simpliciter offendit in præceptum: quia lex quæ imperat confiteri peccata tua, pro tempore quo obligat, etiam censetur dicere, Confitere huic (cuius copiam tantum habes) Sacerdoti peccata tua. Atqui fit, vt sicut hunc nunc habes solum, ita alterum alio tempore habiturus sis solum, urgente præcepto affirmatiuo confitendi. Si ergo proponas alteri etiam illo casu non confiteri, idem est, ac si proponas, hoc præceptum, quando ad mortale obligat, præuariari: quod est apertè mortale peccatum. Aduerte tamen, non damnare nos eos peccati mortalis, qui hæc mente non pertrahant, & non habent formale eiusmodi propositum; quamuis fortè haberent, si tenta-

*Proponens
vni tantum
integrè fa-
ter, mor-
taliter pec-
cat.*

rio &
damna
sione
mon
tente
penfa
Mec
appro
dum
confi
nem
& in
clara
grau
fariu
migi
ager
Nec
cerd
do e
Ger
C
non
Co
pee
ma
Co
iuf
ri h

rio & occasio ingruerent: nemo enim debet damnari ex eo quod in hac aut illa occasione faceret, sed ex eo quod fecit. Ideoq; monendi sunt infirmi, ne super talibus se tentent, sed potius voluntatem teneant suspensam. Salubriter sanè sanxit Synodus Mechliniensis secunda, à Sede Apostolica approbata, tit. de Pœnitentia, in hunc modum: *Nemo aliquem ad perpetuò sibi soli confitendum obliget, & eiusmodi promissionem etiam iuratum, tamquam irrationabilem & indiscretam, hac Synodus irritam esse declarat, & quatenus opus est irritat.* Neque grauiorem censuram euaderet iste Confessarius, qui à pœnitente votum exigeret non migrandi ad aliud opidum, indirectè hoc agens vt alterum non eligat Confessarium. Neque tamen negauerim, quin possit Sacerdos à pœnitente petere, vtrum aliquando eadem sit peccata confessus. Monuit hoc Gerson Alphabeto 32. lit. X.

Quamuis autem in Confessione curiosè non debeat inquiri, quid dictum sit ab alio Confessario: si tamen vltro dicat mulier pœnitens, se fuisse à priori Confessario ad malum sollicitatam, monere eam debet Confessarius de obligatione denuntiandi eiusmodi sollicitatorem Iudici aut Superiori Ecclesiastico, secundum Constitutionem

*Confessarius
ad malum
sollicitans
prodi potest.*

Gregorij XV. quæ incipit, Vniuersi: ipse autem non se immisceat vltiori reuelationi, ne Confessio fiat odiosa, Nam Sorus in 4. d. 18. q. 2. art. 5. & ex ipso Lopes cap. 36. benè monent, feminam sollicitatam ad turpia in Confessione, posse alteri Confessario probo id aperire pro consilio; ipsum tamen non debere per se impendi pro remedio, ne Confessionem reddat odiosam. Quinetiam cum extra Confessionem, saltem quando opus est ad malum imminens impediendum, Iure naturæ possit femina de ea sollicitatione consilium capere, imò etiam ad accusationem procedere, suadent hi Doctores, ne ad secundum Confessarium ista deferantur, sed potiùs extra Confessionem tractentur, ne Confessio fiat odiosa. Porro notatu digna est extensio, quam post Pij IV. Constitutionem contra Confessarios ad turpia sollicitantes fecit dictus Gregorius XV. qui vult coërtione & pœnis eisdem comprehendi non solum talia perpetrantes in actu Sacramentalis Confessionis, sed etiam antè vel post immediate, seu occasione vel prætextu Confessionis, etiam ipsa Confessione non secuta; siue extra occasionem Confessionis in Confessario, aut in loco quocumque vbi Confessiones Sacraméntales audiantur, seu ad Confessio-

ffessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire. Est sanè ampla ista extensio. Cui & illud addendum, rectè veritum esse, ne Sacerdotes Confessiones mulierum cum quibus peccauerunt, fautorum, aut mediatorum, audiant, nisi in casu necessitatis. Ita habent Decreta antiqua Synodi Cameracensis.

In generalibus etiam aut longis Confessionibus licet interrogare pœnitentem, an habeat scrupulum de præteritis Confessionibus non ritè factis. Ceterùm etiam si liceat, idem peccatum, etiam ritè prius confessum, iterùm confiteri: non tamen probò, quòd Confessarius urgeat pœnitentem ad eiusmodi aliquod peccatum, præsertim apud alium Confessarium iam legitimè detectum & remissum, iterùm confitendum, vt materiam certiore habeat absolutionis, quando fortè dubitat an eiusmodi materiam habeat. Expedi potius præsumere, quòd in illis quæ pœnitens dixit, saltem venialis culpa non desit, atque ita eum absoluerè, quàm urgere, vt grauis peccati narratione iterùm erubescat. Imò si omnino dubius hæreas, an vel venialis culpæ sint quæ factus est pœnitens, ratio magis suadebit, vt eum cum generali absolutione non Sacramentali, ista vice dimittas, quàm vt ipsum

De repetitione semel confessi vt sit materia absolutionis.

200 IO. MALDERI TRACTATVS
iubeas antiqui & semel iam expiati peccati
renouare pudorem.

*De Statuto
Monastico
bis eadem
constendi.*

Cessaret ista doctrina in Religioso Or-
dine, vbi ex statuto teneretur Prælato quæ-
que generalem facere totius anni quotan-
nis Confessionem, quod Suarez Tom. 4.
in 3. p. d. 22. sect. 7. refert esse in Ordine Cis-
terciensi; quamuis tale statutum non lau-
det. Rodericus de Regularibus Tom. 1. q. 61.
art. 2. dicit non solum apud Cistercienses,
sed etiam apud plures alios Religiosos olim
fuisse tale statutum, vtpote apud Benedi-
ctinos, Carthusianos, Prædicatores, Carme-
litas. Addit Henriques lib. 2. de Pœnitentia
cap. 16. à Sixto I V. & Pio II. eiusmodi sta-
tutum fuisse confirmatum. Quamuis au-
tem eiusmodi statutum possit fieri de con-
sensu saltem implicito obligandorum, quan-
do acceptant talem statum, in quo sciunt
hoc obseruari; aduerte tamen, apud multos
iam desisse esse in vsu, & Prælatos renuere
eo vti, ne per Sigillum Confessionis impe-
diantur in correctione, dum quod aliunde
sciunt putantur scire per hanc repetitam &
generalem Confessionem, vt testatur Ro-
dericus supra.

CAPVT

CAPVT XXI.

An possit Confessarius extra Confessionem loqui pœnitenti de auditis ab ipso in Confessione.

RESPONDEO, non posse sine eius ve-
 nia expressa; adeò vt neque hîc suffi-
 ciat consensus præsumptus, ratihabitio, aut
 quid simile, vt diximus in casu Capitis iv.
 suprâ. Dices, hoc esse contra bonum confi-
 tentis; ita enim fit, vt de peccato vitando
 non possit instrui: videtur etiam esse contra
 præceptum Domini de correptione: *Si pec-
 cauerit in te frater tuus; vade, & corripe eum
 inter te & ipsum solum.* Respondeo: Ita ar-
 gumentabatur VViclef; cuius hæc sunt ver-
 ba apud VValdesem Tomo 2. cap. 152. *Con-
 fessor post Confessionem nec audet culpam con-
 fesso prodere, nec confessum suum priuatè vel
 publicè ad virtutem oppositam inclinare; &
 sic necessitatur à lege Domini Matth. 18. Si
 peccauerit in te frater tuus, &c. consentiendo
 crimini, declinare.* Verùm sicuti Iudas im-
 meritò murmurabat de vnguento Christo
 Domino impenso, prætextu egestatis pau-
 perum; ita hîc immeritò VViclef murmu-
 rat de Secreto Confessionis prætextu corre-
 ptionis fraternæ. Finis correptionis fraternæ

*Pœnitenti
 non potest
 loqui Con-
 fessarius de
 peccatis cõ-
 fessis extra
 Confessio-
 nem.*

*Sigillum
 malè dixit
 VViclef es-
 se contra
 legem cor-
 reptionis.*

N s magis

magis promouetur silentio isto Confessarij, ne auertantur correctione indigētes à Confessionis Sacramēto, vbi efficacissimæ correptionis est occasio; quàm promoueretur ipsa correptione ex Confessione secreta proveniente, quæ potius improprium esset quàm correctio. Vtrò se corripiendum obtulit in Confessione inter te & ipsum solum; & quidem ea lege, vt altissimum sit de eo silētium: quod violare non potes prætextu correptionis à Christo institutæ, vbi & testis adhibendus esset, & Ecclesia tandem interpellanda.

Rectè ergo monuit Gerson Alphab. 34. lit. Q. extra Confessionem Confessarium non posse mouere confessum de peccatis suis, eò quòd facilè id retrahat à Confessione. Apud Grassium etiam benè obseruatum legimus, non posse Confessarium, qui videt pœnitentem non seruare ea quæ ipsi in Confessionis Sacramento iniunxit, ipsum de hoc extra Confessionem monere.

An pœnitenti loquens de confessis violet sigillum.

An verò sit violatio Sigilli quando secus fit, non æquè inter Doctores conuenit. Illis accedo, qui sentiunt etiam respectu pœnitentis esse obligationem Sigilli in Confessario; & Confessarium, qui sine licentia loquitur de peccatis suis pœnitenti, esse violatorem Sigilli, vt sentit Sotus tam in 4. quàm in relectione de Secreto.

Ratio

Ratio est, quia diximus Cap. 1. Sigillum hoc sacrum requirere, vt Sacerdos fileat de his peccatis inter cetera ideò, quia eorum commemoratio confusionem & ruborem adducit confitenti; quod vel maximè locum habet, quando in faciem ei dicuntur.

Alia quæstio est, an violator Sigilli in hoc casu sit obnoxius pœnæ ordinariæ Capituli, Omnis, de Pœnitentiis & remissionibus; quam etiam memorat Concilium secūdum Mechliniense suprà citatum, Cap. 6. Videtur verius, non esse, quia Mechliniense Concilium nihil noui statuit, & Lateranense videtur pœnam statuere in illum qui proderet peccatorem sibi confessum alteri, reuelando eius crimen. Capitulum etiam, Sacerdos, de Pœnitentia, d. 6. facit pro eadem sententia; quia non videtur in casu suo comprehendere eum qui extra Confessionem ipsi pœnitenti de Confessione loqueretur, sed alteri. Addit enim, *non propinquis, non extraneis, &c.* Ad hæc, non est puniendus vt violator depositi; qui illud reddit ei qui deposuit; neque absolute violat Secretum naturale, qui de eo loquitur amico qui istud sibi commisit, & qui libellum famosum à se inuentum infamato tradit exurendum aut supprimendum. Tenet ita Bonacina disp. 5. q. 6. sect. 5. p. 4. n. 8. qui & alios pro hac nostra sententia citat.

Idem

*An incur-
rat pœnas
violatoris.*

*An sic di-
cta inter
Confessa-
rium &
pœniten-
tem sint
sigillata.*

Denique quæri potest, an etiam illa quæ
de consensu pœnitentis in colloquio eius &
Confessarij de materia Confessionis dicun-
tur, sub Sigillo comprehendantur. Respon-
deo, cōprehendi. ita definit dicto loco Con-
cilium Mechliniense, his verbis: *Hoc porro
Sigillum ad ea se quoque extendit, quæ subinde
occasione eorū quæ in Confessione detecta sunt,
post datam absolutionem à Confessariis inter-
rogati pœnitentes vel repetunt, vel diffusius
enarrant, quæ perinde vt ea quæ in ipsa dicta
sunt Confessione, secreta sunt habenda.* Idem

*Eundem se
exhibeat
Confessarius
post Con-
fessionem.*

lib. 2. cap. 4. sub finem. Ceterum quæ de lo-
cutione diximus, etiam eò extendimus, vt
non possit in pœnam delicti in Confessione
detecti, sine pœnitentis licentia, in aliquo
esse ipsi austerior, aut minùs quàm antea com-
mis, affabilis aut familiaris. Vbi aduerro, ne
quidem ex consensu eius expedire ea facere
quæ ipsi per se grauiasunt: nam etsi forte ei
grauias non sint propter cōsensum, minuunt
tamen fauorem & honorem qui Sacramento

*Nugni opi-
nio postpo-
nitur.*

debetur. Quare non probo quod Nugnus
dicit: Si Confessarius aliquid dicendum ha-
beat pœnitenti, quod in Confessione forte
ipse Cōfessarius debebat dicere, & neglexit,
& ro-

& rogatus à Confessario veniam neget pœnitens secum loquendi de confessis peccatis, posse contra pœnitentis voluntatem totum nihilominus dicere Confessorem, quod fuerit necessarium. Ex hoc enim, inquit, nullum sequitur pœnitenti detrimentum, & hoc est necessarium ad Cōfessoris officium implendum; & non est in rigore loqui extra Confessionem, sed potius est perficere Confessionem. Hanc, inquam, opinionem non probo, sed potius existimo sequendum quod Cap. xvii. diximus; & si noluerit acquiescere pœnitens, prout ipsum debere acquiescere, rectè dicit Sotus de Secreto, memb. 3. q. 4. conc. 5. dub. 4. rem totam esse silentio premedam, suoq; tunc satis officio Confessarium esse perfunctum. Quod enim dicitur, pœnitentem non grauari aliquo detrimento, si ei extra Cōfessionem ista dicantur, verum non est; quia ius habet & libertatem, ne liceat ex Confessione sibi nolenti quidquam citra suum consensum extra Confessionem de suis peccatis præscribi. Quod opponitur de Confessoris officio, tribunal eius cessat finita Confessione; cessat voluntaria eius iurisdictione, quando cessat voluntaria pœnitentis subiectio in tribunali illo diuino.

Quod denique dicitur, hoc non esse loqui extra Confessionem, sed eam perficere, verum

non

non est. Extra Cōfessionem enim loquitur, quia iudicium fori interni, & subiectio actualis ad Claves qua se subiicit cōfitens, iam cessat; neque Cōfessionem perficit, sed affluit alterius naturæ alloquium: quod sic institutum, & inuito pœnitente, eodem gradu haberi non potest, quo Cōfessio vice Dei facta Sacerdoti iam transacta, aut immediate post Cōfessionem sequens colloquium, de quo Concilium Mechliniense. Nemo potest in hoc foro inuitus absolui, aut post interualla retrahi ad tribunal. Non curat hæc medicina, nisi vltro æger currat ad medicum; cuiusq; est naturæ, vt inuito applicata non prosit: & si inuitus est quando velle deberet, ingestio huius medicinæ quæ fit reluctanti, nouus morbus, nouum vulnus, nouum peccatū est. Imò & sese sauciat imperitiâ suâ medicus.

Non probamus tamen illud, quo quidam aliquando putarunt, se posse expedire absoluendo absentem & ignoratē, obtenta iam venia à Superiori, absoluendi eum quem sine tali facultate perperam absoluerint: ipsa enim forma absolutionis præ se fert, quod præsentī sit impendenda solutio; estq; tribunal istud Sacramenti Cōfessionis omnino tale, vt personaliter debeat se reus sistere coram Sacerdote.

CAPVT

CAPVT XXII.

An in Confessione sequenti possit Confessarius sine causa iusta & consensu pœnitentis, loqui pœnitenti de auditis ab eodem in precedenti Confessione.

RESPONDEO: Potest Sacerdos vti An Confessor in sequenti Confessione possit meminisse prius confessorum. scientia prioris Confessionis, quatenus opus est ad directionem pœnitentis in præfenti Confessione; & eo ipso quo ad Confessionem accedit, satis ad hoc censetur consensisse: vult enim iuuari in statu animæ suæ, & res scitur fore secretissima propter Sigillum. Sanè sicuti quando extra Confessionem de peccato quod confessus est consulit Confessarium, iam satis ei dat licentiam de eo loquendi, imò hoc ipsum requirit ab eo: ita similiter quando statum animæ suæ exponit, & de eo iudicari & tractari vult in secunda Confessione, satis censetur de necessariis ad bonam Confessionis directionem Confessario tractandi secum potestatem facere. Quod magis locum habet, quando peccata prioris Confessionis sunt aliquo modo circumstantiæ peccatorum in secunda Confessione expressorum. Ita Henriques lib. 3. de Pœnitentia cap. 2. num. 7. Quando ergo narrat pœnitens peccata eiusdem

208 IO. MALDERI TRACT. DE SIG. CONF.
dem rationis cum illis, quæ eidem Sacer-
doti pridem est confessus, potest reprehen-
dere Confessarius ipsum de suo relapsu sæ-
pius facto in eadem peccata, vt benè ob-
seruat Bonacina disp. 5. q. 6. sect. 5. p. 4. n. 8.
qui pro eadem alios citat, Onuphrium, San-
chium & Nauarrum.

F I N I S.



I N D E X

I N
M
A
fesso
sum
Absolu
mod
Absolu
est r
Auari
rio.
Circu
Sigi
Cleme
rega
fessi
Comm
ex
da.
Compl
169
ann
f
P
an
f
eun
quo
e
Conci
tis

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A

ABSOLVENDI materiam ut habeat, an rectè faciat Confessor, iubens olim confessum peccatum repeti. 199
 Absolutionis testimoniū quomodo dandum. 91
 Absolutionis impedimentum est materia Sigilli. 135
 Avaritia absit à Confessione. 191

C

Circumstantia peccati etiam Sigillo continentur. 167
 Clemens VIII. inhibuit ne regantur Monachi ex Confessione. 115
 Communio peccatori occulto ex Confessione non neganda. 94
 Complex an reuelandus. 157. 169
 anne veniã pœnitentis possit reuelari, accusari, aut puniri. 172. 175
 an possit corripi ex Confessione complicitis. 177
 eum ex scientia Confessionis accusare non licet. 179
 quo casu possit à Cōfessario ex Cōfessione corripi. 185
 Concionari an liceat de peccatis confessis. 124

Confessa nouit Sacerdos ut Deus usque ad licentiam reuelandi. 42

Confessa aliàs, non reperienda. 195
 contrarium Statutum in Religione. 200

Confessarius quando interrogatur de auditis in Confessione, quomodo respondere debeat. 33

an sciat peccata ut Deus.

SI

consulens doctiorem quomodo aget. 82. 125

non dicat se non absoluisse. 83

non puniat secretò, nedum publicè. 84

non suspiret ultra modum. ibidem.

eundem se exhibeat ante & post Confessionem.

84. 204

caueat ne tacitè de vno neget, quod de altero asserit. 89

non potest loqui pœnitenti de peccatis suis, nisi obtentã eius veniã. 112.

207

potest uti scientiã Confessionis ad melius regendum, non tamen ideo audire Confessionem. 116

Q

mone-

I N D E X.

- monere potest Praefectos ut
vigilent, sed cautè &
parcè; & rarò id fit li-
cità. 121. 123
- ad malum sollicitans prodi
potest. 197
- Confessionem alterius ne
reuelet in sua Confessio-
ne, ut integrè confitea-
tur. 167
- quomodo ager qui in ali-
quo defecit audièdo Con-
fessionem. 174
- longè à se remoueat aua-
ritia speciem. 191
- an poenitenti loquès de con-
fessis violet Sigillū. 202
- an sit obnoxius poena ordi-
naria. 203
- an possit meminisse & re-
fricare dicta in priore
Confessione. 207
- Confessio an requiratur ad
absolutionem. 138
- Confessionis audita in nau-
fragio obliti simul nau-
gantes. 12
- Confessionem esse tantum Iu-
ris humani, error est Pa-
normitani. 18
- Confessionem reuelās an men-
tiatur. 22
- Confessus negare potest se ta-
lia dixisse aut confessum
esse. 109
- Confessi etiam impoenitentis
peccatum celandum. 58
- Correptio non instituatur ex
alterius Confessione. 154
- Curiositas Confessariorum re-
prehensa. 188
- D
- Defectus suos in Confessione
admissos quomodo Confes-
sarius supplebit. 174
- Deponere an possit Superior
eum officio quem ex Con-
fessione nouit indignū. 120
- Deus an peccata electorum
tegat in extremo iudicio.
14
- E
- Electio ex scientia Confes-
sionis. 113
- Electorum peccata an Deus te-
gat in iudicio vniuersali. 114
- Error in modo confitendi et
materia Sigilli. 146
- Excommunicatus ex sola Con-
fessione non est vitandus, ne-
quidem occultè. 94
- F
- Furem ex Confessione notum
quomodo vitabit Confes-
sarius. 116
- I
- Incèdium ex Confessione pra-
cognitum potest Sacerdos
vitare. 112
- Interrogandus quando & quomodo
confitens. 191
- Iocantes de confessis reprehen-
dendi. 111
- Iudex an possit procedere ex
reuelata Confessione. 100
- L
- Laudare vnum confitentem
pra alio quare non licet
Confessori. 89
- M
- Mendacium reuelantis Con-
fessionem. 11

I N D E X.

<p>Meretrix publica quomodo debeat pœnitere. 95</p> <p>Monitio Petro non fiat ex Cō- fessione Pauli. 155</p> <p style="text-align: center;">N</p> <p>Nectarij factum. 29.38</p> <p>Nomen suum dicere non tene- tur confitens. 177</p> <p>Nugni opinio refutatur, tri- buens licentiam Sacerdoti loquendi peccatori de sibi confessis peccatis. 204</p> <p style="text-align: center;">P</p> <p>Peccatori occulto ex Confes- sione non negatur Commu- nio. 94</p> <p>Peccata sunt propriè materia Sigilli: secundariò, quid- quid reuelatum, Confessio- nem reddit aliquo modo o- diosam. 131</p> <p>etiam futura sunt materia Sigilli. 132</p> <p>de quibus non est contritio, quomodo sint materia Si- gilli. 133</p> <p>aliena in Confessione audi- dita Sacerdos celet. 152</p> <p>aliena confitens testè me- moret. 155</p> <p>Pœna Sacerdotis reuelatis. 74</p> <p>Diaconi. 75</p> <p>& secularis. 76</p> <p>reuelatoris in foro Sacra- menti Pœnitentiæ arbi- traria. 79</p> <p>frangentium Sigillum. 110</p> <p>reuelantis complicem. 171</p> <p>Pœnâ ordinariâ quando reue- latio non puniatur. 77</p> <p>Pœnitens quando teneatur ce- lare sibi dicta à Confessa- rio. 106.107</p> <p>potest dicere se non dixisse Sacerdoti hoc peccatum quãdo interrogatur. 109</p> <p>potest prodere se benè con- fessum per vitæ emenda- tionem. 116</p> <p>quomodo & quando à Con- fessario interrogandus. 191</p> <p>Pœnitenti non potest loqui Cōfessarius de peccatis suis, nisi obtentâ eius veniâ. 112.201</p> <p>Pœnitentia publica an iniun- genda à Confessario. 86</p> <p>Pœnitentia iniuncta an reue- landa. 108</p> <p>Pœnitentiam solemnem agit Sacerdos depositus. 78</p> <p>Potamij Confessio non est re- uelata. 39</p> <p>Propositū vni tantū integrè confitendi, est mortale. 196</p> <p>Propositi defectus emendandū in confitente non tollit obli- gationem Sigilli. 133</p> <p style="text-align: center;">R</p> <p>Respondere quomodo debeat Sacerdos quando de auditis in Confessione interroga- tur. 33</p> <p style="text-align: center;">S</p> <p>Sacerdos an rectè utatur sciē- tiâ peccati confessi, etiam extra Confessionem auditi. 69.111. Vide, Cōfessarius.</p> <p>Scientia peccatorum an Con- fessarius extra Confessio- nem vti possit. 69.111</p> <p style="text-align: center;">O 2 Secre-</p>	<p>laxo sibi dicta à Confessa- rio. 106.107</p> <p>potest dicere se non dixisse Sacerdoti hoc peccatum quãdo interrogatur. 109</p> <p>potest prodere se benè con- fessum per vitæ emenda- tionem. 116</p> <p>quomodo & quando à Con- fessario interrogandus. 191</p> <p>Pœnitenti non potest loqui Cōfessarius de peccatis suis, nisi obtentâ eius veniâ. 112.201</p> <p>Pœnitentia publica an iniun- genda à Confessario. 86</p> <p>Pœnitentia iniuncta an reue- landa. 108</p> <p>Pœnitentiam solemnem agit Sacerdos depositus. 78</p> <p>Potamij Confessio non est re- uelata. 39</p> <p>Propositū vni tantū integrè confitendi, est mortale. 196</p> <p>Propositi defectus emendandū in confitente non tollit obli- gationem Sigilli. 133</p> <p style="text-align: center;">R</p> <p>Respondere quomodo debeat Sacerdos quando de auditis in Confessione interroga- tur. 33</p> <p style="text-align: center;">S</p> <p>Sacerdos an rectè utatur sciē- tiâ peccati confessi, etiam extra Confessionem auditi. 69.111. Vide, Cōfessarius.</p> <p>Scientia peccatorum an Con- fessarius extra Confessio- nem vti possit. 69.111</p> <p style="text-align: center;">O 2 Secre-</p>
---	---

I N D E X.

- Secretum triplex, promissum, cōmissum, & naturale. 24
- Secreti naturalis obligatio ex qua sit virtute, & an sub mortali. 23
- eius reuelatio est mortalis. 24
- Secreta aliena, etiamsi peccata non sint, quomodo à Confessario celanda. 186
- Secretorū in Confessione gradus. 21. 137
- Sigillum variū violatum. 12
- Sigillū Confessionis quid sit. 13 est sigillum Dei. ibid.
- Sigillum non est pars essentialis aut integralis Sacramenti. 16
- est à Christo praeceptum implicitè vel explicitè. 18
- etiam iure naturae omni casu obligat. 18. 19. 31
- aliquibus casibus cessare, quorumdam error. 31
- prius obligat quàm integra Confessio. 31
- Sigillum non violat qui ex consensu penitētis non praesumpto, sed expresso, etiam ante Confessionem dato, reuelat. 41. 43
- an reuelat tunc quae scit ut Deus. 44
- non praedicit Ecclesiae. 46
- non tamen facillè dandus hic consensus. 48
- non sufficit consensus esse debitum. 54
- licet tunc, nisi consentiat, possit interdū & debeat negari absolutio. 56
- Sigillum obligat, etiamsi desperet confitens de absoluteione. 59
- non tamen quando fingitur Confessio. 60
- obligat Sacerdotem non habentē iurisdictionem. 61
- an obliget quando iniuriose Confessio. 67
- Sigilli significatio. 14. 17
- obligatio maxima. 21
- Sigilli seruati Ecclesiastica exempla. 25
- Sigilli violatio etiam in leui materia est mortalis. 31
- ad quam speciem peccati pertineat. 49
- peccati narrationem & reuelationem confitentium inuoluit. 81
- Sigillo fracto an maneat Sacramentum. 14
- de Sigillo praeceptum non est, sed metu mortis. 32
- sub Sigillo commendatum extra Confessionem, quomodo obliget ad secretum seruandum. 61
- Sigillo tenetur interpreti. 98
- Superior casum referuans. 99
- internuntius aut laicus cui fit Confessio. ibid. & 100
- Iudex cui Confessio est reuelata. 100
- quilibet cui reuelata est. 101
- casu vel insidiosè audienti. 102
- videns mutum per signa confitentem. 103
- laicus

I N D E X.

laicus audiens volente con-	sciens sibi propinandum
fitente. ibid.	quid ager. 126
item audiens Confessionem	Venialia graua, sunt mate-
publicam. 104	ria Sigilli peculiariter. 80
cui ex consensu pœnitentis	Venialia propria constantes
fit reuelatio. ibid.	vt reuelent aliorum mor-
qui ex confesso non confi-	talia peccata, reprehendun-
tente audiuit. 106	tur. 181
inueniens descripta pecca-	Virtutes pœnitentis an cadant
ta. 107	sub Sigillum. 135
ipse pœnitens. ibid.	Vulpem offerunt qui se in
Sigillo contenta. 131	Confessione per aliorum
Sollicitatus à Confessario ad	peccata excusant. 151
turpia, non tenetur id ce-	W
lare. 110	VVicleff fugillator Sigilli.
seu Confessarium licitè pro-	201
dere potest. 197	malè dixit, Sigillum esse
V	contra legem correption-
Venenum ex Confessione pra-	nis. ibid.

F I N I S.

APPRO.

A P P R O B A T I O .

H V N C de sacro Confessionis Sigillo
Tractatum, eruditum censeo, ac di-
gnum, qui ad publicam Confessariorum
vtilitatem exeat in lucem.

*Guliel. Fabricius Apostolicus ac
Regius Librorum Censor.*

S V M M A P R I V I L E G I I .

P H I L I P P I I V . Hispaniarum Regis Catholici,
& Potentissimi Belgarum Principis Privilegio
cautum est, nequis IOANNIS MALDERI Episcopi
Antuerpiensis S. Th. quondam Louanij Professoris
Tractatum de Sigillo Confessionis Sacramentalis præ-
ter Balthazaris Moreti voluntatem vlllo modo intra
sexennium imprimat, aut alibi terrarum impres-
sum in Germaniæ Inferioris ditiones importet, ve-
nalémve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione
Librorum, & aliâ graui pœnâ multabitur, vti
latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, xxix. Octob.
M. D C. XXV.

Signat.

De Witte.

Sigillo
ac di-
iorum

icus ac

olici,
ilegio
discop
essoru
pra-
intra
ref-
t, ve-
tione
, vii
ctob.


ANTVERPIÆ,


EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI,


M. DC. XXVI.

ANTWERP
IN OFFICINA PLANTINIANA
Balthasaris Moreti
M. DC. XXIV.









Practica
Significatio
et
Necessitas

Th
2249

Johannis
Maderi
Tractatus
and.

De rebus
conscientia
sacrament.

2.

De Restri-
ctiōnis
sententia
abūto.

EU
17